



1599










1054 A



Ex Libris Cypriani
martin ibbi [struck out]

Si quis in hunc librum furtiuos
iecerit ungues
ni reddat domino tartara nigra
petat

Cyprianus
si Caput accipias ego tu fortissima tellus
si fine tanti nihil nisi quam mulier
hoc emblema explicet unusquisque.
nam premium dabitur apollini

rare
Médecine

L

C

ANTONII
MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRA-RIENSIS

EXAMEN omnium Catapotiorum uel Pilularum, quarum apud Pharmacopolas usus est. ad Illustrem ALPHONSVM ESTENSEM.

CONRADI *Gesneri medici Tigurini enumeratio medicamentorum purgantium, uomitoriorum, & aluum bonam facientium, ordine alphabeti.*

Omnia nunc primùm & nata & excusa.



LVGDVNI SVB SCVTO COLONIENSI. 1544

AD ILLVSTREM ALPHONSVM ESTENSEM, ILLVSTRISS.
Alphonsi ducis Ferrariæ filium, & optimæ spei adulescentem,
ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.



OGITANTI *mihi, Alphonse præstantiß. cui hic libellus mole quidẽ paruus, sed qui nõ pauca in nostra hac arte spectatu digna complectatur, inscribendus esset: tu unus præ cunctis occurristi, qui cum sis ætate paruus, multos tamen literis, prudentia, sapientia, liberalitate, ac animi magnitudine excedis: ut in hac tam tenera ætate plus spõdere uidearis, quàm qui uigesimũ quintũ annum attigêre. Paruus igitur libellus tibi paruo pucro inscribendus est: cum ne in eius lectione fatigeris, tum ut ad literas amplectendas exciteris. Ad quas tamẽ capessendas aßiduum habes præceptorem, uirum doctißimũ Peregrinum Moratum, non paucis uiris nostra hac ætate præferendum. Nec parũ mouent me ad hanc electionem Illustriß. patris tui uerba in illa ultima ægritudine, qua ab his mundi curis exemptus, ad sydera euectus est, quibus tanto amore, tanta charitate, tamq; ardenti pietate, te nobis non semel cõmendauit. Imò & iure optimo tibi debetur hic libellus, cum soror tua Illustriß. Eleonora natu grãdior libellũ de Syrupis nacta sit, quem hic proximus labor consecutus est. hoc tu natu minor, iure ipso potiaris, ac tibi inscribatur, par est. Accipe igitur hilari fronte munusculum hoc Illustriß. Alphõse. Sic enim nos allicies, ut in tuũ decus alia multo maiora cõparemus, & eos qui studia literarũ sectãtur, ut cœpisti, ama. Vale.*

Antonii Musæ Brasa-
VOLI MEDICI FERRA RIENSIS,
Examen Catapotiorum, seu Pilularum, quorum usus est apud Pharmacopolas.

INTERLOCVTORES.

BRASAVOLVS. SENEX.

BRASAVOLVS.



ON *aduenis inexpectate, ô uenerande Senex, nam diu est quòd hic te expecto: ambigebamq́;, & mecum ipse cogitabam, an sinistri quicquam tibi contigisset. hora etenim dudum trãsacta est, qua ad nos te uenturum dixeras. Iamiam mancipium hoc ad te mittere parabam, nisi prestò adfuisses, qui tam longæ moræ causam disceret, & ad nos quãtò ocyus fieri posset, reuerteretur.* SEN. *Imò non pauca fuêre impedimenta, quæ nos hactenus à tam dulci colloquio, & à nobis immodicè optato impediêre. Sed unum præ omnibus mirè me uexauit, & adhuc uexare non desinit.* BRA. *Quidnam hoc est mi Senex? ut ego tecum uel prouidere, uel condolere poßim.* SE. *Vir quidam, imò potius rabula & maledica cornix de me obloquutus est, cum mihi iam diu instituerim esse uirum probum, nemině lædere, de nemine uel ioco obloqui : hic autě ut uir est procacis-*

ſimus, & vuula (ut aiunt) linguacior, in res meas ueluti Rhinoceros obringit, me traducit, de me paßim obloquitur: per Herculem moriar, niſi id efficiam, ut ſuis dentibus ſibi linguã mordicet, & citra dẽtes ſub palato coërceat. BRA. Non decet ſenem uirum & Chriſtianũ hæc facere, nedum cogitare. SE. Imò maximè decet, ne hæc mala beſtia de bonis & probis uiris iterum obloqui audeat. BRA. Quid dixit tandem? quæ atra fulmina hæc fuere? SE. Ea quæ nec ferre poſſum, nec feram, quoad dignam de ipſo pro tanto ſcelere uindictã ſumam. BRA. Igitur Ieſum Chriſtum patrem noſtrum & præceptorem non imitaberis, qui pro nobis tot contumelias paßus eſt, tot iurgia, tot uerbera, & tu minimum uerbum ferre non potes? SE. Non ſum ego Chriſtus, quem etiam nec Petrus, nec multi alij diſcipuli in omnibus imitari potuere. Si uerba illa in te dicta fuiſſent, & tu quoq; iraſcereris, & uehementi ira excandeſceres. BRA. Dic (ni piget) ea quæ de te obloquutus eſt, ſunt'ne uera, an falſa? SE. Vera? imò falſißima. BRA. Is igitur uir falſus eſt qui de te falſißima obloquebatur. SE. Et falſißimus ſi dici poßit. BRA. Propter quid falſißimus? SE. Quia de me ſuis conſpurcatis uerbis falſißima in publicum effundebat. BRA. O bone ſenex, quis fecit hunc eſſe uirum falſißimum? SE. Aliud cogitare non poſſum, præterquàm à ſuo malo genio in hanc miſeriam ductũ eſſe. BRA. Tu ipſe uera cauſa es, cur hic falſißimus ſit. SE. Ego, quid inquis? BRA. Dic, nónne ob id falſus eſt, quia de te falſa obloqui uoluit? SE. Profectò. BRA. Tu igitur cauſa es cur ſit homo falſus, cum de te falſa loquutus ſit.

Vnde

Vnde uindictam sumpsisti, nec opus est amplius sumas: quia hunc hominem falsum fecisti, & ipsemet sibi iniuriam fecit, utpote abs te conuictus mendacij: atque ita cum te lædere uoluerit, seipsum læsit imprudens, quia se falsum fecit, non tibi nocuit. Adde hunc hominem illa de te non dixisse, quæ de te falsa dixit. nempe si falsa sunt, tu is non es de quo obloquebatur. SE. De meipso obloquebatur. BRA. Quomodo de te, si non erat uerũ? SE. Ea omnia sub meo nomine protulit. BRA. Veruntamẽ hoc tuo nomine, uel simili quamplures uocantur. SE. Addebat cognomen. BRA. Imò & si te digito ostendisset, & falsa dixisset, de te nullo pacto loquebatur. Dic si te Regem Galliæ, aut Christianorum Imperatorem uocaret atq; salutaret, ægre ferres'ne? SE. Non ægre ferrem, sed hunc ueluti fatuum deriderem. BRA. Quamobrem? SE. Quia nec Rex Galliæ sum, nec Christianorum Imperator, & longe abest ut sim. BRA. Si igitur uocet te falsarium, si fœneratorem, cur non derides, cùm in hoc deperdito hominum genere non sis? SE. Fortè alijs hominibus suadebit, me his uitijs esse cõspersum. BRA. Quomodo suadebit, si hæc in te nullus inuenire poterit? Imò ipse scelestus, & apud omnes homines infamis euadet, cùm te esse probum uirum atq; integrum, absque labe, absq; uitio, absque macula experientur & comprobabunt: & hi qui audient, inter se mußitabunt, quàm hæc peßima lingua & uipera de hoc probo uiro maledicit. quamobrem ipse sibijpsi, & non tibi iniuriam facit, nam infamem se reddit, & à Deo ac probis hominibus odio habetur. Nescis quid superioribus annis mihi cõtigerit?

SE. De illo, qui totis uiribus in publicis ſcholis tuum nomen temerare auſus eſt? BRA. De illo inquam. is cœpit priuatim & publicè de me obloqui, quem tamen paulò prius officijs & non mediocribus promeruerã. Sed ego uice uerſa de eo bene dicere non quidem cœpi, ſed perſeueraui, ut deniq; ipſe ex ſuis maledictis ac noſtris benedictis & benefactis iam cœperit per totam urbem digito monſtrari infami, & à quibuſdam (in hoc tamen improbis) excrementis pollui atq; inquinari. Si hic igitur de te male loquutus eſt, tu de illo bene dicas, ne ſimul & ipſe maledicendo malus efficiaris. Scis cur ille de te male locutus eſt? SE. Nec poſſum mente cõcipere. BRA. Quia malus, & (ut inquit Seneca) bene dicere neſcit. SE. Tamen non poſſum non ægreferre. BRA. Quia uir es pinguioris Mineruæ, tuaq; opinione falleris. Verè enim dictum eſt, Neminem niſi ex ſeipſo lædi poſſe. & id tibi illatum eſſe putas, quod ſibi intulit. non enim in ſapientis animum cadit iniuria, ut Plato & Plutarchus ille Chæroneus lõga quadam oratione oſtendit. Quid curas latrantium canum uoces, modò dẽtibus obeſſe non poßint? SE. Nihil. BRA. Aequè nihil cures maledicẽtiũ uoces, quos philoſophi omnes non ab re canes uocitant. obganniant igitur inſidioſæ uulpes, crocitent, latrent de bonis uiris per plateas, per templa, per uicos, per angiportus, nihil aliud faciũt, quàm ut ſe peßimos uiros eſſe oſtendant. Tu uerò tetragonũ Ariſtotelis corpus imiteris, quod in quãcunq; ieceris partẽ recto labore ſeßile eſt. Noli à recta uia, à recto tramite declinare, ſi quis alter improbus eſſe uelit, imò pro hoc maledico, pro hoc ſceleſtißimo uiro,

qui

qui maledicendo ſua labia contaminat, immortalẽ Deum exora, ut illi ignoſcat, illi rectam & integram mentem condonet, ut ſuos errores noſcens ad Deum cõuertatur, & benedicere ſimul, ac bene uiuere diſca: túque ſimul improborum maledicta & calumnias contemnere diſcas, ac etiam id dicas quod Auguſtus ad Tyberium, Satis eſt ſi hoc habemus ne quis nobis maledicẽdo maleface re poſsit. hoc autẽ aſſequutus iam es ſi probus uir fueris. SE. Hæc facilius dici poſſunt quàm fieri. BRA. Imò fie ri æquè facile eſt. SE. Neſcio ſi tam conſtanter ipſo opere ageres, ut uerbis agendũ ſuades. BRA. Imò expertus es (abſit iactantia) nos idem opere effeciſſe. An præterijt memoria coniuratorũ illorum contra nos pugnantiũ, qui cùm ab Illuſtriſs. principe ex albo illorũ qui publicè pro fitẽtur expũcti forent, hoc in me referebãt. cõuenere ſimul, noſq́; & maledictis & malefactis irritare cœperũt. At ſemper cõſtãti animo omnia tulimus, multos ex ipſis, officijs & non modicis affecimus, de alijs benedicere non deſijmus, maledicant ipſi quantum lubet, & quãtum poſsunt. Cumq́; amicorum cõiunctiones noſtræ ſint mul tò maiores, multoq́; ampliores, quàm illorũ, omnia quæ dicebant, omnia quæ agebant ad minima nobis refereban tur: illa (ut decet) in bonam partẽ accipiebamus, Deumq́; pro illis exorabamus, ut ad bonam frugem redirent, & reſipiſcerẽt. SE. Omnia noui, & ſcio, ſi obeſſe potuiſſent, etiam ſuo maximo incommodo obeſſe non deſtitiſſent: tamen non poſſum mente concipere aliquem eſſe cui placeat ut de ſe maledicat quiſpiam. BRAS. Puto & te nũquam uidiſſe uel expertũ eſſe uerè integrũ uirum, &

uerè humanum. Dic quid aliud est iniuria, quàm aliquem uirum bono priuare? SE. Quæ dicis (nisi apertius loquaris) nõ accipio. BRA. Vt accipias curabo. Si aliquis tibi iniuriam facit, quid hic facit? SE. Vel de me obloquitur, uel mea bona furatur, uel filiam corrumpit: hæc, & huius generis alia iniurias esse & insanum uulgus iudicat. BRA. Hoc est quod petebam in illa sententia citata, qua dicebamus, iniuriam esse hominem aliquo bono priuare. Si quis ergo tua bona surripiat, tibi iniuriam facit, quia his bonis te priuat. Si tuam filiam corrumpit, tibi iniuriam facit, quia priuat te pudica filia & uirgine, quod bonum est: & ideo iniuriam facere, est hominem aliquo bono priuare. SE. Iam accepi, & ita esse cõstat. imò & pati iniuriã est aliquo bono priuari in quocunq; genere sit. BRA. Dic autem quid est uerũ bonũ, nisi uirtus. nã diuitiæ labiles sunt & caducæ. pulchritudo fluida est, & tãquã flos breui euanescit. robur diuturno tẽpore lãguescit. Vnde nõ ab re à Stellato poëta dictũ est,

Præter uirtutem non est durabile quicquam,
Diuitiæ pereunt, species quoque, robur, honores,
Cuncta cadunt, Virtus æterna in tempora durat,
Quam fortuna nequit, nec tollere longa uetustas.

SE. Hæc ita esse constat, & nullus uel ignarus inficias it. BRA. At uirtus ab eo auferri non potest, qui illam habet. SE. Et hoc asserunt omnes. BRA. Igitur uir probus iniuria affici non potest, quoniã eius probitas ab eo auferri non ualet, nec unquã hoc bono priuari cõtingit. hoc ferè argumẽto aut simili usus est Maximus Tyrius, cùm probare contendebat, probum uirum iniuriam non pati.

pati. nam uirtute priuari nequit: & improbus est, qui iniuriam patitur, ac subit. Imo eodem loco probare contendit, improbum uirũ non posse pati iniuriam, quia uirtutem non habet qua poßit priuari, & longißimis uerbis non esse refrenendam iniuriam suadere nititur. Dic num is qui te iniuria affecit, & de te maledixit, aut de alio, à te ipso & ab alijs uituperio afficitur, & uir improbus existimatur? SE. Equidem uituperio afficitur. BRA. At si iniuriam referre uolueris, nónne & tu uituperio dignus eris? SE. Si recta mentis acie contemplor, ita esse constat. BRA. Propterea & tu ipse noli hunc uirum in improbitate imitari, ne & tu uituperij particeps euadas. SE. A nobis dictum est superius facilius esse hæc dicere, quàm facere. BRA. Et à nobis responsum est, facilius esse facere, quàm dicere. nam facere nihil aliud est, quàm à referenda iniuria abstinere. quod facillimum est, cùm inferre iniuriam sit difficillimum: nam opus est media inuenire, per quæ inferatur, pericula euitare, quæ iam contingere possent. Cùm igitur te accepisse iniuriam putas, hoc est potißimum documentum, cohibe animum, mentem tuam statim reprime, noli uel minimum temporis supra hanc rem cogitare. Quippe (ut Maximi exemplo utar) sicut inter corporis morbos qui serpũt, contumaciter sanitati resistũt, ac propterea oportet firmum curationis genus adhibere, ut quod superest tibi, saluum fiat: Ita in iniuria referenda, quæ optime serpenti morbo comparatur. nam quandoq; per urbes, quãdoque per prouincias adeò serpit, ut infinitorum malorum causa sit, nisi firmum remedium exhibeatur. est au-

tem firmum remedium, cohibere patiq; quod aliquis putabit esse iniuriam: sed iniuria uerè non est, si quid sit iniuria ad unguē consideremus. Nostris his temporibus calamitatibus plenis, uidemus ob iniurias Carolum Imperatorem Quintū copioso exercitu in Galliam ingressum esse, & Franciscum Gallorum Regem non minori exercitu ecōtrario oppugnare. poterat autem uel uno minimo uerbulo pax inter hos componi, sed uterq; putat se iniuria affectum. Quis uerò eorum rectè bellet, aut quis non rectè, nouit gloriosus Deus, qui illi opem ferat, qui studet eius sanctam fidem erigere, cōfirmare, & ampliare, & qui Italiam in tranquilla pace seruare debeat. In reliquis prouideat Deus, faxitq; ut summi pastores, qui in Petri cathedra sedent, & Christi claues habere profitētur, potius bella sedent, quàm ea mouere conentur. SE. Tu igitur neq; Gallorum, neq; Imperatoris factiones sequeris? BRA. Et impensè fatuos existimo qui sequūtur. cum Paulo dicam, Quæ supra me, nihil ad me. quantum in me sit, Deum optimum oro, ut integra pace fruātur. Quòd si fieri non poßit, is superet qui Deo placebit, & qui Christianam religionem augere debet, & illustrißimum Ducem nostrū in pace relicturus est. sit quicunq;, is superet, uincat, fiat totius Christianæ religionis dux, & antesignanus. At ad rem nostrā redeuntes, sola iniuria, uel credita iniuria, tātarū litiū causa est, & alicuius ingētis facinoris erit. SE. Si hi qui summi sunt in Christiana fide proceres iniuriā referunt, cur ego homuncio referre non debeo? BRA. De his tam magnis uiris loqui nostrum non est. In genere tamen dicemus illos neq; esse Chri

Christianos, neq; Christi imitatores, qui iniurias patienter non ferunt. SE. *Si hæc à principib. despicerētur, & placidè ferrent iniurias, omnes de illis temerè maledicerent.* BRA. *Maledicant quātum lubet, si ipsi Christiani sunt, negligere debent, & prauorum maledicētias contemnere. Quippe principis officiū est, illos punire qui in alios iniuriam inferunt: eis uerò sponte & libenter parcere, qui in ipsosmet Principes inferre conantur.* SE. *Illuc duci non possum, ut credam te libenter iniurias pati.* BRA. *Hoc ad rem nihil facit. Si tibi cordi est meam naturam cognoscere, eam à cunis usque explicabo.* SE. *Hoc mihi gratissimum erit, nam forte commonitus iniurias ferre addiscā. Sicuti uxorem meam abs te frænare didici, & iam domi tranquilla pace fruor.* BRA. *Ego meopte ingenio in uindictam inclinor, & nisi Deus optimus mentem meam direxisset, de omni etiam exili iniuria uindictam referre optarem, nec quicquam minimum ferre possem. Tamen à Deo mihi datum est, ut hanc naturalem inclinationem cognoscerem, & cognitam superarem, ac profligarem.* SEN. *Optima uictoria hæc est, quam supra omnes alias collaudat Salomon. sed quomodo teipsum uincere potuisti, & à quo præceptore hanc artem didicisti, ut naturam propriam tibi à materno utero insitam superare possis?* BRA. *Omnia tibi explanare tentabo si aures porrexeris. Vt dixi, meapte natura, iniurias ferre non poteram. Tamē à pueritia Deus quandam bonam mentem mihi concessit, & in bonum propēsam.* SEN. *Quomodo in bonum propensa erat, si uindictam inferre cupiebas?* BRA. *Hoc audias, in alijs qui-*

busq;

busq; actibus. nam satis recta erat de se, modo non afficeretur iniuria: nec unquam inferre iniuriam optabat, licet quandoq; referre cogitaret. Itaq; hac recta mente, à Deo (ut arbitror) ductus, omnes actiones meas in Deum dirigebam, illum frequenter exorans, ut dirigeret gressus meos in semitas suas. Imò in puerili illa ætate, quæ prope infantiam est, ante pubertatem, orationes quasdam & preces ad Deum mihi fingebam, quibus maiestatem eius orabam, ut bonũ me redderet, & ad discendũ aptũ, & talem me effingeret, ut continuò mandata eius seruarem: nõnullaq; alia addebã, ut nostræ uires suppetere poterant. Fortè benignus Deus & misericors hũc animum respiciens, in melius direxit, & perseuerare fecit. Imò nihil tunc agebam, quin ad uota succederet. Progrediẽte ætate humanioribus literis incumbere cœpi, diuinum auxilium non defuit. etenim nullus erat qui me ad bonas literas hortaretur & excitaret. Quin mater mea uiro orbata, ut erat circa filios tenella, cum noctu surgebam ut literis incumberem, conquerebatur, mihi conuitia dicebat. timebat enim ne in illa tam tenera ætate in aliquã sæuam ægritudinem inciderẽ, & ante diem morte præuenirer. Interim clericus effectus sum, templum frequentabam, linea ueste indutus, ad matutinas horas singulo mane surgebam. Musicæ incumbere cœpi, sed gloriosissimo Deo non placuit me per hunc modum illi inseruire. Cœpi Iuri Ciuili incumbere, & Canonico, nec ista fuit mea illa uocatio, qua à Deo uocandus eram. Cœpi liberalibus artibus incumbere, & duce Deo in trium annorum curriculo ita profeci, ut diebus festis ad dialecticam interpretandam,

tandā, cū adhuc & puer essem & scholasticus, uocarer. Sequenti anno, artiū & medicinæ (ut inquiunt) insignia adeptus sum, & anno 1525 Illustriß. Herculi Alphonsi ducis Ferrariæ primogenito inseruire cœpi, qui me in Galliā duxit 1528. SE. Nescio quorsum per hæc discurras. BRA. Statim intelliges. Cùm è Gallia in Italiam redij, protinus uxorem duxi anno ætatis meæ 28. Tūc per uniuersum transactæ uitæ cursum discurrere cœpi, & manifestè cognoui me ad hāc usque ætatem per conuenientia media, honesta & laude digna peruenisse, idq; non esse factum ex meis uiribus, ex mea industria, uel ex meo ingenio, sed tantum ex nutu Dei, ex uirtute diuina, Deo optimo ductore, qui me huc perduxit, quasi ita illi ex sua infinita bonitate placuit. Et licet à pueritia omnia quæ agerem, omnia quæ cogitarem, in Deum semper referrentur, id erat uniuersali quodā modo factum, non ita statute ut in hoc particulari discursu 1528, quo tempore intra me disposui, iuraui, ac statui, si non eram futurus probus, saltem studere probos imitari: cœpiq; eo tempore multos Dauidis Psalmos legere, ac relegere, non paucas orationes obmurmurare, multis sacris, quæ missæ uocantur, interesse. officia cùm Virginis, tum magnum (ut dicunt) in dies repetere. Sed in his tanta temporis copia conterebatur, ut uix pro negotijs sufficerem, imò re uera non sufficiebam. propterea coëgerūt me rei medicæ praxis, & publica lectionum interpretatio, tot Psalmos derelinquere, & tot diuina officia, & hoc factum est (me iudice) Deo ipso gubernante, atq; dirigēte. nam & hoc non minus benefacere est, quàm psalmos cantillare, scilicet,

cet,

cet, lectionibus incumbere, publicè docere, rem medicam exercere, negotijs familiaribus, & illis quidem multiplicibus prouidere. Propterea ut probi uiri officio fungeremur, iterum considerare cœpimus, & mentis acie discurrendo probare illum non esse probũ uirum, qui multos Psalmos congerat, qui aßiduus in sacris intersit, si in reliquis uitæ operibus malus sit, quamuis illa bona opera sint. An uero meritoria, uel non meritoria, his disputãdum relinquo, quibus otium est de his rebus differere: nam mihi satis est in his rebus patrem meũ imitari, auum, atauum, atq; abauum, qui semper probißimi uiri ab uniuerso populo crediti sunt. Cœpimus igitur uias alias tẽtare, ut probi uiri officio fungeremur, & nunquam à recto tramite uel minimum discederemus. Illud occurrit, si nunquam ingeniolo nostro otium daremus, sed in continuis negotijs esset occupatum, non dari illi commodum uel occasionem aliquam cuiuspiã mali perpetrandi. Itaq; & diurnas & nocturnas horas partiri cœpimus, ut essemus semper in negotio. Verùm cum his etiam perpetuis occupationibus, quibus aliquod uitæ spatium transegimus, si quid mihi interim dicebatur aduersum, si quis retulisset (ut sæpe contingebat) aliquem de me obloquutum esse, æstuabat animus, irascebar, cruciabar, de uindicta cogitabam, & quo modo iniuriam referre possem: quamuis circa alia mirè occupatus essem, nẽpe malignus hostis diabolus iniuriæ speciem suggerebat. Tunc nouimus, & hanc non esse perfectam uiam ad probitatem, & ad ferendas iniurias: deniq; multis uijs consideratis, in illam peruenimus, atq; descendimus, & in illa assuescere

cœpimus,

cœpimus, perseueramus, & perseuaraturos statuimus, quæ est in omni re, in omni cogitatione, in omni negotio, quantũ poßibile sit Christi uestigia imitari. Cœpi igitur cùm aliquis mihi dicebat, in tali uirorum consessu omnes de te honestè locuti sunt, præter magnũ illum Satrapam & publicum maledicum, qui mirè obloquebatur. Tunc intra meipsum cogitare incipiebam (quamuis arderet animus in uindictã) quid fecit in hoc casu Christus noster? quomodo se geßit in illos, qui eum blasphemijs atq; conuitijs irritabãt? noscebamus, legebamusq́; pro illis Deum patrem exorasse, ut illis parceret, qui nesciebant quid facerent. Cœpi & ego Christum imitari, pro his Deum orans, qui de me obloquebantur, qui lædere cupiebãt, & tentabant. Sed primis illis uicibus cùm hanc artem exercere cœpi (etenim ars quædã est hæc Christi imitatio) in primo illo uestibulo sensus mirè pugnabãt, & imaginatio ipsa fermè refugiebat, distorquebatur animus, ut pedem ferè ab hac bona imitatione retraherent, & pro his orandum esse nolent. Veruntamen ratio ipsa, quæ id sibi agendum statuerat, repugnabat, reprimebatq́; sensus. Et hæc erat non mediocris pugna, quia meapte natura in uindictam pronus eram: tamen cùm ratio bis, ter, & quater sensum uicisset, deinde facilius & cum minori labore superabat, & facilius cedebant sensus. Mirumq́; audias, cum iam ratio sensuum domina esset & præses, in meipso tamen expertus sum rationem ipsam quandoq; facilius, quandoq; difficilius uictoriam assequi. Id ego corporeis humoribus attribuebam, qui in dies regenerãtur, & soluuntur: cum enim biliosi essent, tunc sensuum appetentia

magis

magis uigebat. Verum deniq; rationi ſubmittebantur ſenſus, cœpimusq; non ſolùm uerè, & ex tota mente, & ex tota anima noſtra illis parcere, & Deum pro eiſdẽ orare, ſed etiam ore, aliquibus audientibus, cum mihi ſimile quid referebatur, dicebam: hi fortè qui de me obloquuntur, magis me cognoſcũt, quàm uos faciatis. & certè (in hoc enim non te decipiã) primis illis uicibus, quando hæc dicere cœpi, ore loquebar, non corde: poſtea paulatim aſſueſcere cœpi: prius autem natura ſæpius repugnante. Imò diabolus (ut arbitror) hominum hoſtis acerrimus, in memoriam meam plurium tum philoſophorum, tum poẽtarum, tum hiſtoricorum dicteria reuocabat, quibus iubent, inimicis non eſſe parcendum, ſed conuenire, illis ſe terribilem reddere: quæ cum fidei noſtræ oppoſita eſſe cognoſcerem, ſtatim ad Chriſti imitationẽ me uertebam, cuius dicta & geſta his penitus & ex diametro opponebãtur, & eũ pro ſummo philoſopho, & pro ſummo poẽta, & pro ſummo hiſtorico habebã: in hacq; dæmonis ſuggeſtione, & rationis pugna, mẽs non ſine magno labore ſuperabat, & paulatim uictoriæ in hac pugna aſſueſcebat. SE. Non poſſum non putare hunc laborem eſſe magnum. BRA. Et hoc unum non prætermittam, in illis primordijs huius imitationis non eſſe ſatis uerba Chriſti legere, atque geſta, niſi aliquem probum uirum adeas, qui iam huic pugnæ aſſuetus ſit, & quem actu ita ſe gerere uideas, & ex animo hoc faciat, non autem ex inani quadam gloriola: nam multi ſunt, qui ex inani gloria Chriſtum imitari ſtudent, ut uideãtur ab hominibus, & probi iudicentur: qui ex hoc ſuam mercedem habẽt.

SE.

SEN. *Quem imitatus es in hoc opere?* BRA. *Elegi præ omnibus patruum meum* Ioannem Brasauolum, *qui habebatur tanquam probitatis specimẽ & exemplar in hac urbe, cui animum meum explicaui, & totam mentẽ aperui. Ille intẽtionem meam summè laudauit, & simul documenta quædam ad hunc finem assequendum tradidit, quæ supra modum prodesse reperi.* SEN. *Quǽnam fuêre hæc tam salubria documẽta?* BRA. *Vnũ fuit, hominẽ non moueri aliquo intrinseco affectu, sed omnes superare.* SE. *Quomodo hoc intelligis? nam ad bonos affectus moueri oportet.* BR. *Loquebatur de affectib. animæ concupiscibilis, scilicet non irasci re etiã quæ ad iram prouocet imminẽte, hoc est non multũ irasci, & si poßibile est, nihil irasci: non gaudere re quæ ad gaudium faciat irritante: non tristari aduersis, & prosperis non lætari.* SE. *Volebat ergo te esse stupidum hominẽ & lapideũ.* BR. *Scito chariβime Senex, hoc unum esse ex potiβimis documentis, quæ in probitate dari poßint: nam qui affectu aliquo nõ mouetur, hic necessariò probus est.* SE. *Quomodo potuisti tu non irasci in aduersis, non gaudere in prosperis, atque lætari?* BRA. *Ingenue fateor, me nondum illuc peruenisse, & ad illam perfectionẽ accesβisse, sed in dies accedo magis atq; magis, breuiq; futurũ spero (Deo fauente) me illam assecuturum, non tamen absq; magno labore, cum sensus omnes ex diametro oppugnẽt.* SE. *In principio quónam modo perfectionem istam acquirere cœpisti?* BRA. *Posteaquàm in hanc arenã descendimus, omnia ingenuè tibi aperiam: Statui intra me omnia siue bona, siue mala essent, in Deũ referre, & de*

omnibus etiam uel bonis, uel malis illi gratias agere. Cœpiq; illud ſapientiæ promulgatum uerbum conſyderare, Si bona accepimus de manu Dei, mala autem quare non? Et cœpi conſtanti animo credere Deum curare mortalia: itaq; cum aliquid mali cõtingebat, uel referebatur, omnipotenti Deo gratias agebam, ſed primis illis uicibus ore dicebam, & animus erat anceps atq; ægreferebat. Si aliquid proſperũ contingebat, iterum laudabam Deum, ſed corde geſtiebam. Poſtea paulatim effeci, ut uix doleam in aduerſis, uix in proſperis læter, & breui futurũ ſpero, quòd his affectibus non commouebor: ſum enim huic perfectioni ſatis propinquus, ut his affectibus non mouear. Ab amicis plerunq; refertur nonnullos de me oblocutos eſſe: eos negligo, & niſi eſſet primus quidam ſenſuum impetus, quem neſcio an unquã extinguere potero (nam primi motus in noſtra poteſtate non ſunt) iam finem operis aſſecutus eſſem. Nunc autem in hoc totis uiribus incumbo, ut primos illos motus comprimã. Si quiſpiam de me bene loquatur, has laudes paruipendo, uideoq́;, & tota mente percipio, hæc ad integram ſanitatem, & uitæ longitudinem multum cõferre. Si filius mihi in lucem prodeat, aut filia, Bene uenerit, inquio, nihil malum eſt, quod à Deo mittitur: ſi moriatur, Deus dedit, Deus abſtulit. Si lucror, bona ſua dat mihi Deus. ſi aliqua auferuntur, fortè ille indigebat. His uerbis & conſtanti animo omnes affectus comprimere ſtudeo. frequẽter expertus ſum patruum meum Ioannem Braſauolum hoc animo affectum eſſe. & certe hoc documentum pulcherrimũ fuit, & ſupra omnia quæ dari poſſunt, & in
quo

quo opus est frequenter exerceri si integre assequi debeamus. Exercitium uerò ita incipit, Si omnia in Deum primò uerbis, deinde corde referamus: nam frequẽter ex exteriori quodam habitu interiorẽ prouocamus & excitamus. Multa uerò sunt, quæ ad hoc nos adiuuãt: unum est, si frequenter imbecillitatem nostram consideremus, quòd ex terra cõflati sumus, & stercore pleni, citò corruptibiles, fœtidi. Aliud est, ut humiles esse studeamus, & in ipso nos exerceamus. SEN. Quomodo fieri poterit hoc humilitatis exercitium? BRA. Quinque à diuo Bernardo referuntur, quæ ad humilitatis exercitium faciunt. Primum est, amor uilitatis, ut ea quærat homo, in quibus & locus quidam uideatur iniuriæ. Secundo, aßiduitas subiectionis, ut semper cum aliquo esse uelit, quẽ reuereatur & timeat, ut discat refringere suam uoluntatem. Tertio, comparare se melioribus, ut semper inueniat hominẽ, cui comparatus ipsi multa desint. Quarto, aßiduè propriam conditionem considerare: ut ad omnem elationis motũ occurrat, quid superbis lutum? quid superbis cinis? Quinto, considerare occultum inspectorem, cui etiam aperta sunt arcana cordis. SE. Hæc potius ad cucullatum spectare uidentur, & ad illud nouum genus Franciscanorum, quod uulgus à cucullo Scapucinos uocauit. BRA. Imò ad Christianum spectant. SE. Habuisti'ne alia præcepta à patruo? BR. Et cõplura, ut id, Quòd Christi uerba, mores, & gesta semper in prõptu haberẽ, & totus scaterẽ euangelio, ac Pauli & aliorum apostolorum sententijs. SE. Optimum quidẽ præceptum hoc est, sed (ut arbitror) nunquã illud asseque-

rer. BRA. Ne diffidas, ô Senex: nam in illa es ætate, in qua & facile præceptum assequi poteris, & facilius in opus committere. hoc enim in mea ætate difficilius est, quæ uigens est, & in qua feruet bilis, & omnia ad motum prompta sunt. Verum & illud non mediocre documentum fuit, mortem non esse timendam: nam hic timor multorum malorum causa est. tu enim aperta fronte ueritatem profiteri debes, etiam si ob ueritatem immineat mors. Nec illud prætermittam intactum, sedulò conscientiam suam examinandam esse, & sacerdoti præsentandam. hoc enim facit, ut seipsum cognoscat homo. Imò antiqui nihil præclarius, nihil excellentius in tota humana uita existimarunt, quàm seipsum cognoscere. propterea ab oraculo Apollinis è cœlo aurea illa sententia décidit γνῶθι σεαυτὸν. Cognosce teipsum. Quod summus poëtarum Virgilius probum uirum edocere studens innuit, ita canens:

Vir bonus & sapiens, qualem uix repperit ullum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, uaniq; leuis quid opinio uulgi
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per leuia sidat.
Ille diem quàm longus erit sub sydere Cancri,
Quantaq; nox tropico se porrigit in Capricorno
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quis protuberet angulus, æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amussis.
Sit solidum quodcunque subest, nec inania subtus

Iudicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei:
Quò prætergressus, quid gestũ in tẽpore, quid non.
Cur ipsi facto decus absuit, aut ratio illi.
Quid mihi præteritum, cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit: miseratus egentem.
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem.
Quid uolui, quid nolle bonum foret. utile honesto
Cur malus antetuli. num dicto, aut denique uultu
Perstrictus quisquam: cur me natura magis quàm
Disciplina trahit. sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortuq́; & uespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Vides hic chariß. Senex, quàm sanctè, quàm piè, quàm religiose, quàm Christianè Virgilius, uel quisquis fuit poëta ethnicus, & (ut ab aliquibus falsò, ut puto fertur) impudicißimus, cecinerit. SE. In sola sui ipsius ferè consideratione & cognitione, & suorum actuum pensiculatione uirum probum statuit. BRA. Ita est, & nihil inueniri potest quod hominem aut meliorem, aut magis probum reddere poßit confeßione (ut nunc utar hoc uocabulo.) hac enim homo seipsum explorat ad unguem, quid fecerit, quid facit, quid se facturum parauerit. SE. Hoc equidem non mediocre documentum est, ut homo probus euadat. BRA. Imò optimum: nam ita se gerere, ut frequenter ab auditore peccatorum eius mala gesta audiantur, est seipsum considerare, & se totũ ad unguem contemplari, quod ad perfectionem multum facit. SE.

Cum adeò utile sit nostra cõmissa audiri, de nõnullis miror, qui nostro hoc tẽpore, confeßionẽ (ut uocãt) è medio auferre tẽtant. BR. *Id auferre tentant, quo in nostra religione nihil perfectius, nihil exquisitius, & nihil ad salutem cõmodius. Nos non solũ uidemus apud Theologos confeßionẽ istam ad salutẽ animarũ esse utilißimam & necessariã, sed apud Ethnicos etiã & gentiles quidẽ eius effectus summè laudatur.* SE. *Quí nam est hic effectus?* BRA. *Omitto in præsentiarũ omnium delictorũ remißionem, si ex toto corde fiat: sed sui ipsius cognitionẽ intelligo, quam ex confeßione, si pura sit, perfectißimè acquirimus. Nullus enim pura mente auditori peccatorum sua cõmissa refert, qui seipsum, id est hominẽ suum interiorẽ non examinauerit, atq; diligenter excusserit, & nõ uiderit quibus & quot maculis sit aspersus. Fuit ergo optimũ consilium eius, male cõmissa probo cuidam uiro referre.* SE. *Dedit ne alia documenta patruus?* BRA. *Et multa, inter quæ illud erat, quod leonino carmine referebat,*

Quod tibi tu non uis, alijs fecisse caueto.

Hæc enim est naturæ lex, ne id alteri feceris, quod si tibi fieret, ægreferres. Nec illud prætermisit, nihil ex improuiso faciendum, aut dicendum, quin prius cõsiderarem, quid contingere poßit. SEN. *Nec istud fuit uanum documentum.* BRAS. *Imò & quod Alexander Magnus à Diogene illo Cynico accepit, & eo à morte quãdoque liberatus est, cum eius tonsor ante Alexandri ædes sentẽtiam istam prescriptam inuenisset: & hoc potißimùm facit illa consideratio, quia si ira percitus es, interim remittitur, aut cessat: si nimio gaudio afficeris, interim dum*

finem

finem cõsideras remittitur gaudium, & dicta quædam uana effugis, que illi dicere solent qui nimio gaudio affecti sunt. Nos quamplures uidimus, quibus melius & salubrius fuisset, ita repente non respondisse, nempe irreuocabile uerbũ. Augustus Imperator puto ab Athenodoro consilium petẽs in ira, in quam præter modũ accendebatur, respondit, Nunquam in uindictam progredi debere, quin prius uigintiquatuor Græcorũ literas recensuerit. Et Platonis sententia refertur, qui à famulo prouocatus noluit illũ uerberare, imò dixit: Te uerberassem, nisi essem ira percitus: acsi innueret, nihil agendũ cùm affectus est animus, sed tũc agendũ est, cum affectio, quæ animum occupat, remissa fuerit. SE. Obseruasti'ne tu hæc omnia documẽta? BRA. Obseruare tẽtaui, & obseruo. sed nõdum illuc accessi, ut perfectionẽ habeã: spero tamẽ Deo duce, me breui illam assecuturũ. Volebat præterea omnia in Deũ referenda esse, ne in alicuius rei gloriolã duceremur: unde quicquid occurrebat, id omne ex Dei uoluntate factũ esse cẽseri oportet. Cum cœpi me in hoc documento exercere, solis uerbis, & non corde proferebam: deinde paulatim exercitatus in id deueni, ut omnia tum bona, tũ mala, nutu Dei fieri putẽ, & omnia in illũ referam, non quidẽ summis labijs, sed ex tota mente mea, & quæcunque à me fiunt, à Deo fieri proculdubio censeo. Hæc sunt documenta, quæ senex ille uenerandus Ioannes Brasauolus probitatis specimen mihi referebat, quibus semper Christi uerba, mores, & gesta coniungebam, & nunc cõiungo: sed utinam illum imitari possem, ut cupio. Ad rem igitur redeuntes, pro qua in hanc are-

nam descendimus, si quis de te male loquatur, negligito hæc uerba, cogita quid fecerit Christus in maledicos. iudica illa uera esse, quæ à scelesto illo dicuntur: uel time ne uera sint, & animum tuum tunc corrige ac perfice: pro hoc maledico uiro Deum orare ne cesses, ut benedicus fiat, ut integra mente donetur, ut resipiscat & errores suos cognoscat. SE. Deo uindictam committam, & ipse retribuet. BRA. Imò Deum orare debes, ne de hoc uiro uindictam sumat. SE. Ita in sacris literis scriptum inueni, Deo uindictam relinquendam: Mihi uindictam, & ego retribuam. BRA. Id certe in sacris literis scriptum est: tamen non arbitor ex hoc intelligi Deũ orandum esse, ut uindictam sumat, imò nec optandum, nec cogitandum: Deum potius orare debemus, ut persequentibus nos parcat. Est uerò huius sentẽtiæ sensus: nullus uir probus uindictam sumere debet, sed Deo derelinquere, qui id agat quod lubet: & tibi cordi non sit, quòd uindictam sumat. SE. Amo à Deo exerceri iustitiam. BRA. Bonus est amor, & laude dignus, si iustitiæ amore mouearis, & non amore uindictæ. Cũ uerò hoc potius ames propter uindictam, ob hoc ora, ut uindictam non sumat, sed illi musello parcat; tuq; paruipendas loquaces, & maledicos, qui non de te uiro probo, sed de seipsis male loquuntur. Quod si feceris, Deo placebis, uir probus euades, tuæ uitæ diuturna tempora adiunges, & hi uiri maledici denique inuidia rumpentur, Deusq; diriget gressus tuos in semitas suas. SE. Hic tuus discursus mihi summè placuit, tuaq; documenta aggredi incipiam, modò assequi poßim. BRA. Si sedulò ac frequẽter in ipsis exercearis,

cearis, uidebis te paulatim probũ uirum euasurum. SE. Experiri decreui, si probus uir fieri possim. BRA. Fies omnino si predictas regulas sequaris: quamuis multæ aliæ sint apud diuũ Bernardũ, quas data opera prætermisi, ut breuius quàm fieri posset ad institutũ nostrum descenderemus. SE. Institutum erat de Catopotijs sermonem habere, sed præscriptæ regulæ sunt animæ catapotia, quibus & ipsa expurgatur, & à prauo in bonum alterari potest. BRA. Hanc igitur lucem in catapotijs conteremus. SE. Nisi refugias. BRA. Ad te potius accedo. SE. Vnde initium sumet oratio? BRA. A nominis interpretatione, & ab expositione unde originem duxerit, si tibi uidebitur. SEN. Imò maximè uidetur.

BRASAVOLVS.

HOc igitur modo exordiamur. Pilulas recentes uocant, quasi paruas pilas: fiunt enim in paruarũ pilarũ modum pilulæ, hoc est in rotundum: nempe compositiones sunt ex re simplici, uel pluribus in rotundũ conformatæ. Hanc uerò figuram præ alijs elegere medici, ut facilius per stomachum & gulam in uentriculum descendant. nam rotundum corpus nullam eminentiam habet, qua impediri possit ne descendat. Præterea plura in rotundo corpore continentur, quàm in alia qualibet corporis figura: est enim capacissimum rotundũ corpus. Adde, ut undiq; æqualiter liquescant pilulæ cum in uentriculo sunt, rotundæ fiunt. hæ sunt ferè causæ cur pilulæ rotundam formã nactæ sint. SE. Audiui & illam formam habere, ut diutius in uentriculo morarẽtur. BRA. Non est causa cur diu in uẽtriculo commorẽtur, sed illa,

Pilulę vnde dictæ, quid sint, & de earũ forma.

quia prædurę, non liquidæ, quia prædensæ, non fluidæ, qualia sunt liquida medicamenta, quæ facile discurrunt, antequam in uapores soluta sint. At pilulæ à uentriculo non abeunt priusquàm liquefactæ sint, & iecur petierint, & uapores per uniuersum corpus trāsmiserint, & caput potißimum impleuerint: unde paßim receptū est, medicamenta in hanc solidam formam redacta facilius à capite educere, quàm si liquida, & in rei potabilis formam accepta. Imò non solùm à capite, sed & à quibuscunque remotioribus partibus. Nec illud prætereundū: cum illa, quæ pilulas ingrediuntur simplicia ut plurimū amara sint, & quæ nauseam inferant sumētibus, hæc rotunda forma inuenta est, ut medicamentum citò descendat, & uix uel nihil degustetur. Orbiculi, & globuli à Latinis nuncupari possunt, à Græcis κόκκοι, & καταπότια dicuntur. SE. Est'ne apud Græcos proprium pilularum uocabulum καταπότιον? BRA. Græci non uocant solas pilulas catapotia, sed omnia, quæ integra deuorantur digitis ori admotis, & integra deglutiūtur, ut à medico fiunt, catapotia nuncupant: nempe uerbum habent καταπίνειν, quod est deuorare, à quo καταπότιον dicitur, quicquid integrum deuoratur, quamcunq; habuerit formam. uel quia larynga dicitur καταπότης, per quam hæc transeunt, fortè catapotia dicta sunt. SE. Quicquid igitur insumitur & deglutitur, etiam si rotundum non sit, catapotium dici cōmerebitur? BRA. Equidem. tamē & ipsi in usu habebant catapotia. SE. Et in forma rotunda? BRA. In rotūda. SE. Potest'ne hoc facilè probari? BRA. Facillimè, si duo aut tria Græcorum authorum loca adducemus,

Orbiculi. Globuli. Κόκκοι. Καταπότια.

ducemus, quibus ſua catapotia in rotundū uergere oſtendamus. SE. Adducas quæſo. BRA. Ab hoc incipiam, qui ſtatim menti ſubijt. Alexander Trallianus libro 2. cap. 4. ubi de tuſsi ex materia agit, bechica catapotia formare docet, quæ in globulos conformari debere inquit, erui quantitate: certum uerò eſt globulum in modū erui in rotundum uergere. & libro 3. cap. 21. de dyſenteria agens, docet conformari catapotia, quæ ſingula erui magnitudinem impleant. SE. Fortè intelligit quo ad pōdus. BRA. De pōdere non intelligit, quia dat bina, aut terna, ſed de magnitudine & forma: nam in alijs locis expreſſe præcepit redigēda eſſe in globulos, ut lib. 4. cap. 4. Aëtius & ipſe lib. 10. cap. 36. de aromatico crunio agēs, docet aloën reduci debere in catapotia magnitudine ciceris, & duo, aut tria eſſe dāda. Et in fine noni libri ponit catapotium dyſentericū, & quod dicit ad erui magnitudinē conformari, & quinque, aut ſex danda. & in uarijs alijs locis, cùm de catapotijs agit, in globulos formari docet. & Paulus Aegineta cap. 5. ſeptimi libri, capotia confici oſtendit in modū ciceris, quorum dat undecim una uice. Habes igitur in rotundū uergere antiquorum catapotia: quamuis non ſit neceſſaria illa forma, ut apud Cornelium Celſum uidere eſt lib. 5. cap. 25. qui de catapotijs agit, & quandoq; ad erui magnitudinē conficit, quandoq; ad noſtræ fabæ magnitudinē, quandoq; ad fabæ ægyptiacæ. Tamen in eo genere catapotij, quod ad plures dolores per ſomnū leniendos facit, manifeſtè oſtendit eſſe etiam catapotium, etſi illam formam non habeat: nam uult cōpoſitionem illam reducendā eſſe ad craſsitudinem ſordium,

postea ex ea aut paulum deuoretur, aut aqua diluatur, & potui detur, idemq; facit in sequenti cõpositione. SE. Nostri igitur boli, & electuaria, catapotia essent. BRA. Electuaria in ore tenentur, & ideo suum nomen habent eclegmata: boli uerò quos deuorãdos facimus uel ex cassia, uel ex alia re, omnino sunt catapotia, si uorentur, & integra transglutiantur, ut nomen ipsum ostendit. SE. Erit ergo inconstans uocabulum catapotium, & non solùm pilulas nostras significabit. BRA. Est equidẽ: propterea utor potius latinis uocabulis, aut globulos, aut pilulas nominãs. Sed his, quæ in genere dicta sunt, omißis, ad singularia catapotia descendamus: nam infinita propemodum Græcorum authorum loca inueniremus, quibus probari posset catapotiorum formam talem esse, ut deglutiri poßit. Dic uerò quo ordine catapotia scripsisti? SE. Vt loculi, & pixides offerebantur. BRA. Igitur genus primum legas quod in tua scheda scriptũ est, nam ab eo incipiemus.

SENEX.

Pilulæ alefanginæ, & vnde dicantur.

Pilulæ Alefanginæ nuncupatæ, illæ sunt, quarum pixis mihi scribenti occurrit. BRA. Nec ab re, nam & apud Mesuem primæ sunt quæ in suo libro offeruntur. Aliâs uerò tibi dictum est, apud Mauritanos Alefangin pulueres odoratos significare, & grati saporis, quibus in obsonijs utimur, & uulgo simplici nomine species uocantur: sunt autem aromata. propterea hæ pilulæ de aromatibus interpretantur, non ob id solum, quia aromata tantum recipiant, sed quia multa capiunt aromata. Aliqui ab aloë Aloëfanginas nũcuparunt. Mesue inquit

Pilulæ de aromatibus, & vnde dicantur.

ad

ad uentriculi dolorem cõuenire, quando ob pituitam doluerit, & ipsum roborant coctionem accelerantes: cerebrumq́;, & sensus omnes, ac uẽtriculũ à crassis humoribus liberant. tamẽ ego in hoc casu simplici hiera potius utor, quàm his Alesanginis dictis. Nunc autem eius compositionem adducito. SE. Hæc est quæ sequitur,

℞ Cinnamomi
Cubebæ
Ligni aloës
Calami aromatici
Macis
Nucis muscatæ
Cardamomi
Caryophyllorum
Azari
Masticis
Schœni
Spicæ
Carpobalsami } añ. ℥ I

Absinthij sicci
Rosarum } añ. ʒ V

Terantur contritione crassa, & fundantur ea aquæ lib. duodecim, & coquantur usque ad consumptionem duarum partium: deinde fricentur manibus, & colentur, & eius aquositas exprimatur, & ℞ aloës succotrinæ bonæ libram unam, quæ lauetur in lapidea patera uitriata, aqua pluuiali. deinde exiccetur, & fundatur super ipsam expreßionis prædictæ circiter libras duas, & terãtur in sole: deinde cum aloë ea que sequuntur misceri debent,

℞ Myrrhæ	} añ.	ʒ	v
Masticis			
Croci		ʒ	iij

Tere contritione bona, deinde prædictæ expreßionis residuum super ea fundatur, & conterantur, usque dum exiccentur, & fiant ex eis pilulæ in modũ ciceris, & da ex eis à drachmis duabus usque ad aur. ij. & quandoque affectio exigit, ut ex eis minuatur uirtus aloës, & ponimus ex eo ʒ iiij. & quandoq; exigit dispositio ut lauetur aloë prius cum aqua myrobalanorũ, & tũc accipe ex eis ab ʒ iij. usq; ad ʒ viij. & coque in aqua, & postquam coxeris cum hac aqua, exicca illam, & laua ultimo cum aqua de speciebus, sicut diximus: sunt enim incolumes. Hæc est integra apud Mesuem Alefanginarũ cõpositio. BRA. *Fuêre diu apud recentes medicos probatæ ac laudatæ hæ pilulæ, & re uera nõ uidemus cur & nũc laudari non debeãt, nisi in Græcis authoribus alia potiora haberẽtur, ab ortu ferè mũdi experta & cõprobata, & in qua eadẽ ferè simplicia ingrediũtur.* SE. *Quæ nã hæc sunt?* BRA. *Earundem ferè uiriũ sunt eæ pilulæ, quas de simplici hiera apud Galenũ in septimo Methodi medẽdi libro inuenies: nam & si tot simplicia Galeni compositio nõ cõplectatur, ea saltẽ capit, quæ ad affectiones uentriculi, & capitis in materia præsertim frigida potißimùm ualẽt: propterea Alefanginis pilulis simplicem Galeni hierã nunquã postponimus, imò Galenũ potius sequimur.* SE. *Quid est Azari, quod hãc cõpositionem ingreditur?* BRA. *Codex mẽdosus est: nã pro Azari, Assari legendũ est, & re uera ita cõstat in pluribus anti-*

quiorib. codicib. quãuis & apud Damascenos hoc uocabulũ Azarũ, Assarũ significet. SE. Non possum non ualde mirari de Mesue, qui sibiipsi in hac cõpositione opponi uideatur: nẽpe inquit, decoctionẽ fieri ad consumptionem duarũ partiũ. uerùm ubi superius de decoctionibus agebat, in ipsis semper ordinẽ facit, ut illa quæ maiorem decoctionẽ in ebulliendo patiuntur, præcedãt: quæ uerò minorẽ, sequantur. In his autem pilulis absinthiũ ponitur, quod mediocrẽ patitur decoctionem, & rosæ adhuc minorem, multaq; ingrediuntur aromata substantiã raram habentia, & facilè solubilem, ut ipse Mesue in hac compositione sua documẽta seruare non uideatur. BRA. Duo annotãda occurrunt. unum est, Mesuem ea semper non repetere, quæ ab ipso in alijs locis dicta sunt: unde cum hìc decoctionẽ fieri iubet, eam fieri intelligit secundum generales decoctionũ regulas, quas prius ueluti fundamẽta iecerat, ut primò illa ebulliant, quæ decoctionem maiorẽ patiuntur: deinde, quæ mediocrem: denique quæ modicã. Vel cum hæc in præsenti decoctione posita crasso modo conterenda docuerit, in hisq; pilulis uis quæ in centro est simpliciũ exigatur, & non illa quæ in superficie. nam quæ in centro est, roborat, & quodãmodo styptica est: propterea tanta decoctione, tamq; longa usus est. SE. Tamen non mediocre dubiũ apud authores est de pulueribus, quos ipsi uocãt species, an tenuißimè, uel crasso modo in puluerẽ redigi debeãt. BRA. Hanc ambiguitatẽ nõ rarò audiui, sed illam potißimũ faciũt in colocynthide, ob diuersitatẽ authorũ in ipsa & oppugnantiã, & de qua suo loco dicemus. Vt autem in præsentiarum tibi

satisfiat,

ſatisfiat, dicimus cum decoctio ſit (ut in hac Meſue compoſitione) non exigitur extrema contritio, & in minutiſsimum puluerem ſolutio: cùm uerò ſimplicia in pilulas conformare uolueris, tunc in puluerem tenuiſsimum contere. Dic autē bone Senex, lauas'ne aloën? SE. Quid nam petis? lauo, & pluries. BRA. Ne admiratione afficiaris, ſi de aloës lotione interrogauerim, cùm & multi ſint qui non lauent: & fortè qui lauant, uno quodam errore inter lauandum ducuntur. SEN. Quónam errore duci poſſunt? BRA. Tuum lauandi modū referas: fortè tunc errorem interim oſtendemus. SEN. Aloën accipio, & in puluerem redigo: mox aquam inijcio, & baculo circunduco, deinde hoc cōmixtum relinquo quoad aloë in uaſis fundū deſcendat: & tūc aquam proijcio, aliamq́; inijcio, & uehementer circunduco, & iterum deſcendere ſino, idemq́; tertiò facio. BRAS. Quoties hoc facis? SE. Certum numerum non ſeruo, ſed non minus facio, quàm ſepties uel octies. BRA. Cùm lauas, & quoties lauas, nónne aqua illa qua lauas, inficitur? SE. Inficitur quidē, ſed ſorde aloës. BRA. Imò tenuiori aloës parte, quam proijcis ſimul cum aqua: unde nonnulli extitere, qui aquam nunquam mutaſſent, ſed in eadem aqua perpetuò lauabant: dicentes, lauare quandoq; eſt alicui rei aquam miſcere. ut cum dicimus diluere uinum, hoc nō eſt lauare uinum, ſed aquam uino miſcere. SE. Qui ita dicūt (me iudice) Meſuem nō intelligunt: nam hoc modo diluere una ſolùm fit uice, Meſue autem iubet aloën pluribus uicibus eſſe lauandam. BRA. Nec ego hos laudo, ſed ueram lotionem intelligo. SE. Tamen Albucaſis ubi de modis

modis abluendi aloën agit, abluit imbibendo simul deco- ctionem quandam, quam parat. BRA. Quænam est Albucasis decoctio? SE. Hæc quæ sequitur.

℞ Caßiæ ligneæ
Spicæ nardi
Assari
Squinanti
Carpobalsami
Xylobalsami
Cinnamomi
Ligni aloës
Croci
Masticis
Laccæ
} an. ʒ iij

Contūde & coque in libris sex aquæ, donec huius aquæ medietas cōsumpta sit. Cola, & exprime, & pone in uitreum uas. accipitq; optimæ aloës librā unam, & in puluerem redigit, ac triturat, deinde prædicta decoctione ipsam irrorat, donec tota in aloën imbibatur, ponitq; super uas marmoreum, aut uitreum, & in sole cōtinuo terit: deinde in mundam pateram ponit, & craßiori pāno tegit, quoad exiccetur: cum exiccata fuerit, iterum in puluerem cōterit, & alia decoctionis portione irrorat, & iterū exiccari permittit: quod toties facit, quoties ad plenum imbibita sit decoctio, & exiccata, & deniq; in uase uitreo seruat. Vides hunc esse modū quēdam ablutionis, & tamen non proyci aquam? BRA. Sed nunc te ostendere incipiā, hunc modū non posse intelligi à Mesue, quia, inquit, sæpius abluatur aqua pluuiali: secundū ablutionē

à te nuper relatã, opus esset pluuiam aquã imbibi in aloë. at hæc aqua frigida est, & humida, quæ qualitates & ab intentione pilularũ alesanginarũ diuersæ sunt, & affecti bus oppugnãt, quibus hæ pilulæ succurrere debẽt. Quare ille Albucasis abluẽdi modus à Mesue intelligi nõ potest, præsertim quia cum decoctione suorum simplicium hanc imbibitionẽ non facit Mesue. SE. Antiqui docuerunt'ne lauandi modũ, quo aloen lauare poßimus? affer tu aut tuũ, aut antiquũ modum. BRA. Antiquos lota aloe usos esse maximè cõstat: nam Galenus in septimo de Arte curandi libro, & in his quæ scribit de Cõpositione medicamentorũ secundũ locos, hieram fieri docet, & ex aloe lota, & ex non elota: & sæpius dicit sumendã esse aloen elotam, aliàs non elotã. Quo autẽ lauãdi modo uteretur, non satis cõstat, tamen aqua lauasse arbitramur. & hinc argumentũ accipimus, quòd Dioscorides lib. tertio, ubi de aloe agit, dicit medicaminibus oculorum ualere tosta, uel lota. additq; lauatur autẽ, ut quod arenosißimum sit, subsidat, abijciaturq;: pinguißimũ uerò & lene tollatur. Vides igitur ad quẽ finem lotio tẽdat secundũ Dioscor. ut scilicet si quid terreum mixtũ sit, id omne abeat. unde aloen lauandã esse iudicamus, ut crassæ partes atq; terreæ abeãt, hocq; aqua fontana fiat, & prima uice totũ terreũ subsistat. SE. Nónne & tu aquam illam eijciendam iudicas, in qua ablutio facta sit? BRA. Eijciendam esse. SE. Num & quod tenue est eijcis? BRA. Eijciam quod tenuißimum est, quia lotionẽ unam solum faciã, neq; aloen in puluerem redigã ut lauem, sed optimã aloen accipiam, quæ (ut inquiunt Dioscorides & Galenus) facile diluitur &

tur & liquescit. per unam uerò & solam ablutionem, partes solùm quædã leues & extrinsecæ abijciũtur : uerùm ex hac ablutione id solùm acquirit, quòd minus educit, & adhuc minus per ablutiones duas, & per tres minus, plures, uel parũ, uel nihil educet. hoc Galenus innuit in septimo de Arte curandi libro, ubi inquit, hieram fieri posse ex aloe lota, & non elota. additq; : hæc itaq; non elota ualentius uacuat, elota uacuat quidem minus, sed roborat uentrem magis. Id igitur facit lotio, quòd aloe minus euacuat, sed magis roborat, Paulo & Aëtio idẽ sentientibus. Galenus etiam in tertio de Simplicium medicamentorum facultatibus lib. cap. 14. cum docet in braßica esse duas cõtrarias facultates, & illasmet posse esse in pluribus, de Aloë hìc agens dicit, ab aliquo posse remoueri partes quæ purgãt. unde inquit: nam si aloe accuratè lauetur aut debiliter, aut planè nihil uentrẽ subducet. Verba Galeni sunt, ἐπιμελῶς γὰρ ἀλόη πλυθεῖσα παντάπασιν ἀσθενὴς ἢ οὐδ' ὅλως ὑπάγει γαστέρα. Lotio igitur partes illas in aloe aufert quæ subducunt, & quanto lotiones magis multiplicantur, tanto minus subducens efficitur, ut apud Galenum exquisitißima lotio subductionẽ penitus auferat. SE. Quæ nam est huius rei causa? BRA. Quoniam in omni ablutione tenuiores partes auferuntur, & eyciuntur. unde quantò plures fient ablutiones, tantò plures tenues partes abeũt, quæ sunt basis & fundamentũ eiectionis. SE. Tamen uẽtriculum uehemẽtius roborabit? BRA. Equidem. & ideò cum intentio harũ pilularum alefanginarum sit, & pituitam educere, ac humores crassos à uentriculo, cerebro, & instrumẽtis sensuũ, & roborare

uentriculum: ex multis aloës lotionibus nihil educent, & Mesue intentũ non habebitur, quod est educere pituitosas materias & crassas. SE. Quid igitur à pharmacopolis agendũ est? BRA. Quantum in me sit, Galenũ imitarer in septimo Methodi medendi libro, ubi docet parandam esse hierã ex aloë lota, & non elota: nẽpe si lota sit hiera, magis roborat, minus educit: si nõ elota, minus roborat, magis educit: & ut in quarto De simplic. medicamentorũ facultatibus lib. cap. 14. edocuit, si egregiè lauetur, aut parũ, aut nihil educet: propterea suaderẽ, ut compositiones duas seruares, unã ex aloë non elota, qua uteremur quoties materierum crassarũ euacuatione indigeremus: nam aloë à Græcis inter medicamẽta illa cõputatur, quæ à fæcum eductione ἐκκοπρωτικὰ, id est stercoris eductiua nũcupãtur. quãdo autẽ sola uentriculi & capitis roboratione indigemus, has pilulas paratas uoluerim ex aloë egregiè elota. SE. Si utroq; indigemus, & roborare, & educere, quid tũc agendũ est? BRA. Aloën habebimus medio quodam modo lotam, id est quæ nec egregiè sit elota, neq; penitus illota. SE. Quomodo hoc fiet? BRA. Si semel tãtùm abluatur, hoc habebis: non enim erit egregiè lota, neq; illota: etenim una sola lotio talis nõ est ut eductiuã uim ab aloe auferre poßit, & magis roborare potest quàm si esset nõ elota. SE. De Mesue miror, qui toties lauari cẽsuerit. BR. Fortè nõ est intelligẽdus Mesue, quòd hæ pilulæ crassas materias educant, quoniam & si dicat mundificare stomachum à pituita, hoc fortaßis intelligit mundificãdo, & non euacuãdo: & ita egregiè lotã esse oportebit. Dicamus igitur cum harũ pilularum usus sit,
mate

materias crassas resoluere, & roborare: propterea aloe pluribus lotionib. lauari debet, ut magis roboret. de euacuatione autem nihil refert, quia hoc non quæritur. At si contingat, uel semel, uel bis eum qui accepit euacuari, tanto melius erit: nam ablutio partes illas remouet quæ uim habent educēdi: sunt uerò hæ tenuiores, quæ semper cum abluitur eijciūtur. SE. Quot igitur uicibus lauari debet? BRA. Tertia lotio egregiè aloen lauat, quæ non in puluerem teratur, sed aquæ misceatur: quippe si bona sit aloe, diluitur facilè, & eliquatur. SE. Non dabuntur igitur ut euacuemus. BRA. Non equidē, sed ut resoluamus, ac roboremus. Nunc huius cōpositionis reliquū examinemus. inquit aloen sumendā, quæ prius sit exiccata, deinde suprapronēdas esse duas libras illius decoctionis, & in sole ponēdas miscentes quousq; sit exiccata: & hæc commistio à recētioribus nūcupatur, ablutio aloes per uiā nutritionis: quia decoctio illa imbibitur aloe, & ea ferè nutriri uidetur. huius nutritionis fortè meminit Galenus 8. de Cōpositione medicamentorū secundum locos, in simplici hiera, cum dicit aloen ali: ea autē exiccata myrrhā commiscet, masticen, & crocū: additq; Mesue reliquum decoctionis supraponi debere aloe, & agitari, quoad exiccetur, postea utaris. Sed peto quot dies exigantur ad exiccationē duarū librarum huius decoctionis. SE. Pro ratione tēporis, sub æstuante Cane, quatuor aut quinque dies satis sunt. BR. De reliquis duabus libris decoctionis quid interim facis? SE. Omnes pulueres una uice non coquo, sed dimidiū solum, postea reliquū iterū coquo, & ad duas libras resoluo. aliter & corrūperetur decoctio

illa, quæ remanet in tali dierum ſpatio, & ad aliquã portionẽ ſaltẽ reſolueretur. BRA. Iſtud nec probo, nec mihi placet: malo etenim ut una uice fiat tota decoctio, quoniã diuerſum cõpoſitum eſt, ſi totã pulueris ſummã in duodecim aquæ libras ebullieris quouſque adeò exiccetur, ut quatuor ſolum ſuperſint, ab eo ſi dimidiũ pulueris acceperis, & uſq; ad duas partes ebullias. SE. Mihi uidetur eſſe eadẽ cõpoſitio. in utraq; enim duæ tertiæ partes reſoluũtur. BRA. Quantũ ad cõpoſitionis proportionem omnino eſt proportio, ſed nõ quantũ ad reſolutionis tempus, quia pluri tẽpore indigemus ad reſolutionẽ octo librarũ, quàm ad reſolutionẽ quatuor. In hac autem mora puluerũ uires decoctionẽ magis ingrediũtur, præſertim quia craſſo modo puluerizati ſunt. Adde, quòd magis imprimit tota puluerũ coaceruatio in totũ, præſertim tanto tẽpore ebulliẽdo, quàm pars in partẽ. SE. Quomodo igitur agendũ, ne corrũpatur aut reſoluatur, antequã prima decoctionis pars aloes mixta euaneſcat? BRA. Audias. illæ duæ decoctionis libræ, quæ aloe prima die miſcẽtur, ſi dies ſit canicularis & feruẽtiſſima, eademmet die exiccabuntur. SE. Quomodo hoc fieri poterit? BR. Arte. SE. Hanc artẽ libẽter addiſcerẽ. BRA. Edocebo, ſi quid perſolues. SE. Perſoluam. BRA. En ſponte edoceo, Si octo aquæ libras acceperis, & in arctum uas poſueris, deinde alias octo libras in latius uas eijcias, & alias octo in adhuc latius, & alias octo in latiſſimũ, & hæc omnia uaſa feruentiſſimo ſoli expoſueris, deprehẽdes latiſſimi uaſis aquam citius reſolui, deinde latioris, deinde minus lati, deniq; arcti: nam quanto aqua eſt altior, tanto tardius reſoluitur.

ſoluitur. ex his inferimus, ſecundū uaſis capacitatē aloen & decoctionē recipientis tardius & citius exiccari. Latiore igitur uaſe accepto uitreo, in quo hæc ponas, & per ipſum decoctio ad ſemidigiti craßitudinē extendatur, aut etiam minorē, eadem die reſoluetur. Itaq; poteris ſecunda die reliquum decoctionis cōmiſcere, & eadem ſecūda die, uel ſaltem tertia exiccabitur. SE. Breui equidem diſſoluetur hoc modo, ſed æquè bene cōmiſceri non poterit in latiori patera, ſicuti in arcta. BRA. Quid impedit? imò facilius commiſcebitur, & per omnes partes tractari poterit, uolui atq; reuolui. SE. Eo modo multæ partes reſoluentur. BRA. Aeque reſoluentur ſi per multos dies exiccentur. SE. Mihi æquè non uidetur: nam multæ partes ab aloe reſeruantur. BRA. Imò, ut ingenue fatear, hoc mihi ſummè diſplicet, quòd ſoli exponantur, & miſceantur quoad exiccentur: nempe multæ partes ui ſolis à decoctione trahuntur, & per aërem euaneſcūt. SE. Quod reſoluitur, parui uel nullius momenti eſt, ſed tota uis in aloen imbibitur. BRA. Nos putamus eſſe aliquid magni momenti. etenim tenuiores partes aëreæ, igneæ, & aqueæ illæ ſunt quæ euaneſcunt: terreæ ſolæ ſuperſunt, craſſæ, & cōfarctæ, in quibus nec odor, nec uerus ſapor inueniri poterunt. SE. Imò relinquitur odor. BRA. Non eſt uerus decoctionis odor: is enim uaporoſæ ſubſtātiæ & tenui innititur, quæ à radijs ſolaribus ad ſe trahitur, & conſumitur ac exiccatur: quippe diſputatio eſt in naturali philoſophia, an accidentia de ſubiecto in ſubiectū trāſire poßint: & qui tranſire cēſent, argumentū habēt de odore, qui accidēs eſt, tamē ex pomo in manū Accidentia an trāſeāt de ſubiecto in ſubiectum.

transit. Viri autem philosophi, qui cum Aristotele putāt non trāsire, dicunt & si odor ex pomo in manū transire uideatur, tamen de subiecto in subiectū non transit. & si id experimēto cōprobabis, quia accepto pomo, & per aliquod tēpus per manū conuoluto, odor in manu sentitur. Ad hoc experimentū duæ sunt diuersæ sententiæ, quæ respondēt. una dicit in manu nouū odorē generari, sicuti ex igne nouus calor in linteo fit. Hæc autē sentētia à magnis Philosophis non probatur, sed potius id probant, quod ab alia sentētia & uera philosophorū opinione dicitur, odorē scilicet non esse in tota pomi substātia tanquàm in subiecto, sed esse in tenuioribus partibus uaporosis, quæ partes corpora sunt. cùm uerò pomū tractamus, ex manus caliditate, meatus insensibiles pomi aperiūtur, & uapores illi exeūt qui sunt corpora, & quibus odor tanquam subiecto inhæret, illiq; uapores manui inhærētes, pomi odorē in manu seruāt. Quòd autē hoc sit, ex eo uidere licet, quia si hyeme pomum odoraueris, in principio nihil redolet, nam eius insensibiles meatus clausi sunt: cùm uerò ita manu tractatur, ut caleat, uel alio etiam modo caleat, adeò ut euaporatio in qua odor inest exire poßit, tunc odor persentiri incipit. At si pomū diu tractaueris, deniq; inodorū efficietur, quia uniuersa euaporatio, cui odor innititur, exibit. Et hoc in omni odorata re cōtingit: propterea odoramēta clausa seruari debēt, ne euaporēt: alioqui simul exit odor. experiētiaq; uidemus liquida odoramēta, & quæ nihil habent glutinosi, si in detecto uase seruētur, odorē amittere, quia exhalationes, quibus odor innititur, abeunt: ut in aqua rosacea, &

similibus

ſimilibus uidere nihil impedit. Illa uerò quæ glutinoſa ſunt odoramēta, odorē quidē remittunt, ſed penitus non amittũt: tamē tam diu tractari poſſent, & detecta ſeruari & exiccari, quòd odorē amitterent: quod in zibetto ac moſcho, quæ maxime redolent, experientia oſtendit. ab Ariſtotele igitur non ab re dictũ eſt, odorem eſſe fumoſam exhalationē, id eſt, fumoſæ inniti exhalationi. quod & ante Ariſtotelē ſenſit Plato: nam in calce ſecundi Alcibiadis, odorē in uaporoſa re fundari innuit: ubi Socrates de Homero loquēs ita dicit, Troianos cùm ſuburbanum ædificiũ molirentur, facere dijs immortalibus præcioſa ſacrificia, bonũ nidorem uerò ex litore ſuauem ad cœlum uſq; uentus extolli. quod indicium eſt odorē eſſe in uaporibus, & fumo. Hoc autē Plato ex Homero fortè accepit, primo Iliados, uerſu 313. cum de ſacrificio agēs in hunc modum cecinit:

κνίσση δ' οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ. id eſt,

In cœlum nidor fumo reuolutus abibat.

Idem ſentit & Auicēna in lib. de Origine ſpiritus, cap. 9. primi tract. ubi docet quid ſit ſubiectum aromatizitatis, ut eius uerbis utar: uerum ne hac in re nimis immoremur, & noſtro fine fruſtremur, dicimus fumos à decoctione illa eleuari, quibus fumis odor innititur & uigor ſimplicium decoctionē ingredientiũ, ſolumq; terreſtrem partem remanere. SE. Tibi igitur placere non uidetur, ut hāc decoctionē exiccari ſinamus. BR. Nempe ſol mirè trahit partes à centro uſq;, imò & ſi in umbra exiccetur & nimis immorātur & fumos eleuari opus eſt. unde potius uoluerim ut pulueres illi immiſcerētur aloe, quàm

ut illa decoctio fieret. SE. *Putas igitur nihil uirium in aloe ex tali decoctione remanere?* BR. *Absit ut nihil dicam: parũ tamen remanet.* SE. *De odore ipso non mediocriter ambigo, an in solis uaporibus sit.* BRA. *Non est opus hanc philosophicã materiam nos hic differere: sed ipsam uidere si cupias, nostra libri Prædicamẽtorum cõmẽtaria perlegas, ubi adeò exaggeratè illa tractamus, ut nihil desit.* SE. *His pilulis ultimã manũ imponamus.* BR. *Hæc sit ultima manus: pulueres actu potius ingredi debẽt, quàm decoctio illa quæ postea ui solis exiccetur.* SE. *Tamẽ recentes medici, qui pharmacopoliũ nostrum frequẽtant, ita parari uolunt.* BRA. *Pro ipsis para: mihi satis est habere simplicẽ Galeni hieram ex aloe elota, & non elota: uerum apud alios authores compositiones aliæ non desunt ab his diuersæ, quæ alefanginæ pilulæ uocãtur. Nẽpe Hali in* 10. *lib. suæ uocatæ practicæ, & in* 7. *ubi de inordinato appetitu agit, similem ferè descriptionem alefanginarũ refert. Et Serapio in Antidotario suo tres descriptiones ponit, quarũ prima aliquã affinitatem cum hac habet.* SE. *Illæ solùm in usu sunt, quas Mesue descripsit. Vnũ autẽ scire percupio, cum dicit rosarũ ab sinthij ãñ.* 3. V. *alij cõtextus habẽt ãñ.* ℥. V. *quid intelligere oportet,* 3. V. *an* ℥. V? BR. *Miror aliquẽ esse qui in hac re dubitet, & qui statim suũ codicẽ nõ emẽdauerit, si dicas uncias, in drachmas. Verũ de his Alefanginis satis dictũ est, quarum loco utor ego simplici hiera Galeni: propterea non ab re esset, si secundo loco de pilulis hieræ simplicis ageremus, cum quibus magnam affinitatem habent prædictæ, & in eadem intentione eis utimur.*

SENEX.

Pilulæ de simplici hiera Galeni in nostra scheda secundo loco scriptæ non erant, sed posteaquam tibi animo est, ut illas excutiamus, ut lubet, fiat. BRA. Quomodo illas paras? SE. Galeni modo paro: nam in primis hieram picram cōstituo, ut Mesue docet distinctione tertia de medicinis solutiuis. BRAS. Illam explica. SE. Ita fit à Galeno (ut refert Mesue.) Pilulæ de simplici Hiera Galeni.

Species hieræ Galeni.

℞ Cinnamomi
Masticis
Assari
Spicæ
Carpobalsami
Croci
Xyloaloēs
Caßiæ
} añ. partes æquales.

Aloes ad duplum ponderis.

Hæ sunt species hieræ Galeni, ex quibus pilulæ de hiera simplici conficiūtur apud Mesuem. BRA. Quo liquore miscetis hos pulueres, ut in pilulas conformentur? SE. Melle rosaceo. BRA. Vidisti'ne alios, qui hanc compositionem alio modo componerent? SE. Imò sunt Ferrariæ, qui ex sex rebus solùm conficiant. BRA. Simplicium pondus referre ne pigeat. SE. En,

℞ Cinnamomi
Assari
Xylobalsami
Spicæ nardi
Croci
}

Masticis

Masticis

Aloês ad duplum ponderis.

BRA. Quomodo accipis hoc duplũ ponderis, an totius cõpositionis, an solùm unius simplicis medicamẽti? SE. Vnius simplicis, ut si cinnamomũ sit uncia una, aloë sint unciæ duæ. BRA. Exquisitius fuisset ad duplũ põderis omnium: quia cõpositio magis propinqua fuisset compositioni Galeni. SEN. Non est igitur Galeni descriptio. BRA. Non est quo ad põdus, nec illa quam facis est Galeni simplex hiera, nec alia quam nõnulli parãt, & Nicolaus Galeno illã attribuit, & simpliciter uocat picrã, id est amarã Galeni: quam dicit ad omnẽ capitis frigiditatẽ ualere, & stomachi coctionem procurare, uomitum stringere, uteri frigiditati subuenire, conceptionẽ adiuuare, quam dicit exhibendam esse in balneo uel eunti dormitum. Eius compositio hæc est,

Hiera picra. ℞ Aloes optimæ ʒ xiiij. s.

Cinnamomi
Nardi
Costi
Croci
Schœni
Xylobalsami
Caßiæ fistulæ
Masticis
Assari
Rosarum
Amomi
Absinthij

an̄. ʒ I. gr. vij.

Mel

Mel quod ſufficiat.

Hæc eſt hiera illa picra, qua in clyſterijs nos utimur, & quam præbeo quoties ſimpliciter indicitur hiera picra à medicis, uel hiera picra Galeni, tamen non eſt ſimplex. Scimus nonnullos pharmacopolas, qui alium puluerem parant, quo pilulas iſtas conficiunt: ſed quia picra mihi compoſita uidetur, & non ſimplex, ideo de compoſitione illa nullam mentionem feci. BRA. Ab re non eſt omnia referre, ut errores detegantur, & in ueritatẽ adducantur. SE. Hæc eſt quæ ſequitur,

℞ Cinnamomi
Croci
Spicæ
Schœni
Aſſari
Caſsiæ ligneæ
Xyloaloes
Carpobalſami
Violarum
Abſinthij
Epithymi
Stœchados
Agarici
Roſarum
Turbith
Colocynthidis
Maſticis

} añ. ʒ I.

Scamonij correcti ʒ ij

Aloes hepatici ad pondus omnium.

Omnia

Omnia tenuißimè in puluerē redigit, & in pilulas cōfor mat ex melle rosato, uel re alia secundū intentionē ægritudinis. BRA. *Et asserunt hāc esse hierā Galeni?* SE. *Asserunt.* BRA. *Res profectò mira, & quæ apud Galenū nusquā reperitur, & Galenus de turbith mētionem nūquā fecit, multiq; hac utūtur pro illa hiera qua in clysmatibus utimur. nam & ipsa à Nicolao describitur, & talē differentiā facit, quia primam uocat Galeni picram, secundā hieram picrā Galeni. Audias & alterū quorūdam errorē qui uerā quidem Galeni appellatam hieram ex sex rebus faciūt, & centū drachmis aloes, sed singulorū simplicium unam solam drachmam ponūt.* SE. *A te certò scire uoluerim quomodo cōfici debeat hæc simplex Galeni hiera.* BR. *Hoc non te cælabo. Scito Galenum exhibuisse hierā in puluerē redactam, quam ex decocto aliquo bibebant, uel iure, uel in eclegmatis formā deducebāt, uel catapotiorū & globorū. Sed priusquā de simplici Galeni hiera loquamur, prius inspectare oportet, an à Galeno inuenta sit & cōposita hæc hiera.* SE. *Cur in hoc dubitas, cùm & Serapio & Auicēna in hac hiera Galenū adducāt ueluti huius cōpositionis authorē & inuentorem?* BRA. *Adducunt quidem, quoniam apud Galenum scriptam inuenêre: sed an Galeno authore extiterit, ignorabant: imò hieram aliam scribunt, quàm illa sit quæ apud Galenum inuenitur.* SEN. *Quomodo fieri potest tales tantosq; uiros deceptos esse?* BRASA. *An ipsi decepti sint uel eorum interpretes, & librarij, nostrum non est iudicium ferre: id tamen aperta fronte profiteri audemus, infinitas esse cōpositiones ab antiquis*

confectas, quas in Auicēna, Serapione, Mesue, & Haliabate, mutilas, imperfectas, & perperàm adductas legimus. En Mesue octo simplicia ponit in hac cōpositione præter aloen. Idem Auic. facit, & ponūt duplū pōderis aloes. Serapio tres hieræ descriptiones refert, quarū prima uera est Galeni simplex hiera: quāuis simpliciū pōdus per haur faciat quod Galenus drachmam dicit. sed hoc ad rem nihil facit. Fortè haur apud ipsos drachmam significat, quāuis ab omnibus ferè receptū sit significare drachmā unā & semis. Verū ad rem nostrā redeuntes dicamus hanc simplicē hierā non fuisse à Galeno inuētam, sed potius ab Andromacho. SE. Quid inquis? Receptū est apud omnes hanc hierā esse Galeni inuentum. Mesue id sentit, id sentit Auicēna, & omnes simul recētes. BR. Sentiant hi authores quicquid uelint, scito hanc hierā esse Andromachi hierā. Nam antiquorū mos fuit, cōpositiones quasdā à seipsis inuētas habere, quas ipsi suas sacras cōpositiones nuncupabant, quoniam eas magnifaciebāt, & ægris tanquam res sacras exhibebāt. unde Rufi hiera reperitur satis probata, hiera Antiochi, hiera Iusti, hiera Archigenis. SE. Galenus ergo nullam hierā parauit quam ipse suomet ingenio constituisset? BRA. Hæc uocata simplex Galeni non est, ut ibi oculata fide ostēdam: sed paulus Aegineta lib. 7. cap. 8. cùm hieras refert, hieram quandam adducit, quam Galeni hierā uocat. SE. Quæ nam est illa? BRA. Hæc quæ sequitur.

℞ Trixaginis
Piperis longi
Piperis albi

Stœ

Stœchadis Veratri nigri Scamonij Spicæ nardi Scyllæ aſſatæ Epithymi(ſecundũ aliquos)	Vniuſcuiuſq; ℨ xvi.
Myrrhæ Croci Guttæ ammoniaci thymia-matis Euphorbij	Vniuſcuiuſq; ℨ viij.

Quæ cuncta melle excipiuntur. SE. Hæc non eſt Galeni hiera ſimplex, neque eiuſdem compoſita hiera quam Nicolaus refert, & tu ſuperius adduxiſti. BR. Hanc etiam compoſitionem apud Galenũ inuenire non potui. Aëtius præterea lib. 3. cap. 117. hieram quandã deſcribit, quam Galeno attribuit: cuius compoſitio ab illa Pauli euariat. Nam inquit,

℞ Pulpæ colocynthidis	ℨ viij.
Scyllæ aſſatæ Ammoniaci thymiamatis Scamonij Corticis ellebori nigri Stœchadis Hyperici	Singulorum ℨ xvi.
Epithymi Succi polypodij Bdellij Aloes	Singulorũ ℨ viij In alio codice Chamæ

Chamædryos.in alio codice habetur Eupatorij | habetur ℥ ij.
Marrubij
Caßiæ

Myrrhæ Trogloditicæ
Sagapeni
Croci
Aristolochiæ
Piperis albi
Piperis nigri
Piperis longi
Cinnamomi
Opopanacis
Castorei
Petroselini
} Singulorũ ʒ iiij

Mellis quod sufficit.

Integra exhibitio ʒ. iiij. media tres, minima duæ cum melicrato, & minutißimi salis cochlearij semis. Hæc est Galeni hiera secundum Aëtium. Tu autem uidere potes quanta sit differentia inter illam Pauli & istam. SE. Differentia est in simplicibus, & in copia. hæc autem à te nuper dicta hiera reperitur'ne apud Galenum? BRA. Eam diu quæsiui, & tamen integrè inuenire non potui. SE. Vnum est, à quo moueor hieram simplicem esse Galeni hieram, quia Paulus lib.7.cap.11.illam compositionem referens dicit, Picra Galeni accipit,

Aloes ʒ c.
Ligni balsami
Mastiches

Croci Spicæ nardi Aſſari Cinnamomi	Singulorum ʒ VI.

Sunt qui in iunci rotũdi odorati floris, & caſsiæ uniuſ-cuiuſq; ʒ. VI. admiſceãt. exhibe ʒ. I. in hydromelite. hæc Paulus. Ex quibus apparet, hanc cõpoſitionem Galeni eſſe exiſtimaſſe. BR. Galenus illã non ſcribit ac ſi ſua ſit, nec à Paulo refertur ac ſi Galeni ſit, ſed quia ab ipſo Galeno refertur. uerùm ut animus tuus quietior euadat, nunc oſtendamus hanc hieram non eſſe Galeni. Inuenio ipſam apud Galenum in quinque locis poſitam. in tribus locis in lib. de Compoſitione medicamentorũ κατὰ τόπους, & in ſeptimo Methodi medendi lib. & in ſexto De ſanitate tuenda. Compoſitio, quam omnes paſsim ſequũtur & adducunt, ex ſeptimo Methodi medendi accipitur, & hic locus in medium ſemper affertur, cum de hac hiera mentio fit. Inquit uerò præcitato loco Galenus: Expedit ergo paratam habere, quam omnes medici picram, id eſt amaram, uocãt: atque hanc dupliciter confectam, utique ex aloe elota, & non elota. admiſcetur autem huic,

Cinnamomi Xylobalſami Aſſari Spicæ nardi Croci Maſticis Chiæ	Vniuſcuiuſq; ʒ. VI.
Aloes	ʒ C.

Ex his colligere potes, ſi omnes medici uocant hoc medicamen

Martin

dicamentum picrā, non esse eius inuentum: nempe dixisset, quod nos picrā uocamus. Prope finem præterea sexti libri De sanitate tuenda, inquit: In totum ergo, ad aloes drachmas centū, reliquorum cuiusq; coniiciūtur 3. sex, quæ ipsa quoq; sex sunt: atq; hæc est picra quam Romæ omnes præparant. Ex quo apparet, si omnes Romæ habebāt hanc picrā, quòd ab ipso non fuerat inuenta, præsertim quia non tantum immoratus erat Romæ, ut omnes illam parare potuissent: cùm multos habuerit æmulos qui Galeni cōpositionem non parassent. In secūdo etiam lib. De cōponēdis pharmacis secundū locos, ubi de ijs qui ex stomachi uitio capite dolent agit, inquit: Præstantissimum præsidiū est medicamen ex aloe præparatū, quod nonnulli quidem uocant picram, hoc est amarā: nonnulli hieram ex aloe, ac iniiciunt quidē centū aloes drachmas, sex autem aliorum singulorum, quæ & ipsa sex sunt numero, Cinnamomi, Spicæ nardi, Xylobalsami, Mastiches chiæ, Assari, Croci. Ex hoc loco, quia aliquos uno modo uocare dixit, alios alio modo, suā cōpositionem nō esse deprehendi potest. In octauo autem lib. De componendis pharmacis secundum locos, ubi scribit quas Andromachus tradiderit facultates stomachicas, inquit, Cùm Andromachus inscripsisset stomachicæ. deinde sic incœpit: Ad stomachicos hiera quatuor. deinde totā eius compositionē ordine tradidit, quæ in hunc modū habet,

℞ Iunci odorati floris
Xylobalsami
Mastiches
Croci } Singulorum 3 VI.

Nardi indicæ
Aſſari
Cinnamomi
Aloes elotæ ʒ C.

Simul leuigata reponito. Si ergo Andromachus hac hiera utebatur, qui ante Galenū ſcripſit, nam de eo in pluribus locis Galenus mentionē facit, qui & libros Therapeuticæ ſcripſit, propterea hæc hiera Andromacho potius attribuēda eſſet, quàm Galeno. SE. Non tamen dicit fuiſſe inuentum Andromachi. BRA. Non equidem, quia re uera eſt inuentū Themiſonis, qui ante Andromachum extitit: fuit autem Aſclepiadis auditor, ut de eo pluribus locis mentionem facit Plinius, de quo Iuuenalis,

Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

SE. Quomodo hoc ſcis? BRA. Quoniam Galenus in eodem octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hanc compoſitionē ponit, & præfixa inſcriptio dicit, Antidotū hiera Themiſonis ad ſtomachi ſubuerſiones ualet, & æſtuantibus, & ad omnem inflationē, tardam concoctionem, & uteri affectus: eſt etiā ad urinam probè efficax, ſummatim facultas admirabilis, hydropicis, iecorarijs, & nephriticis. quin & mulieribus menſes educit. Poſtea deſcriptionē ponit, quæ præciſè eſt ſimplex hiera appellata: ita enim poſt titulum ſequitur,

Aloes ʒ C.
Maſtiches ℥ I.
Croci tantundem
Nardi indicæ
Cinnamomi

Carpo

Carpobalſami
Aſſari } Singulorũ ℥ I.

Contũdito, incernitoq́; cribro tenuißimo, ſeruatoq́; ſiccum, ut perſpirare poßit. Vides eſſe hieram ſimplicem, & à Galeno hîc nuncupari, Antidotum hiera Themiſonis?s E. Igitur qui indicũt, dicere debent: ℞ hieræ Themiſonis? B R A. Ita indicere deberent. quòd etiam à Themiſone inuẽta fuerit, Aëtius teſtis eſſe poteſt lib. 6. cap. 10. ubi curationem melancholicorum ex Galeno ponit, inquiens dandam eſſe hierã aloes, quæ præ cæteris epithymum recipit, quam conficies ſicuti iubet Themiſon.

Hiera Themiſonis.

℞ Aloes ʒ C.
Maſtiches
Croci
Spicæ nardi
Cinnamomi, aut duplum Caßiæ
Aſſari
Carpobalſami } Singulorum ℥ I.
Epithymi ℥ ij.

Detur è mulſa ad cochlearis magni mẽſuram. Hoc eſt ſatis efficax teſtimonium, hanc hieram non eſſe Galeni, ſed Themiſonis, qui multò ante Galenũ ſcripſit: quãuis Serapio in tract. de Antidotis eam Andromacho attribuat. id autem fecit, quia cõpoſitionem iſtam accepit ex 8. de Compoſitione medicamentorum ſecundũ locos, ubi Galenus refert, quas Andromachus tradiderit facultates ſtomachicas. in quo loco hierã ponit, qua utebatur Andromachus, non tamen hieram ab Andromacho inuentam.

SE. Quicquid ſit, hæc non eſt Galeni compoſitio, uel ab Andromacho, uel à Themiſone inuẽta ſit, eam tamen antiquiores in frequentiſsimo uſu habuere. Sed tu in præſentiarum quomodo examuſsim fieri debeat, edoceto. BRA. Id quàm lubenter agam. Themiſon ex ſeptem rebus hieram cõpoſuit, ut Galenus in octauo lib. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, refert. SE. Quæ ſunt hæ ſeptem res, quæ ſecundum Themiſonem ingrediuntur? BRA. Hæ ſunt,

Aloes	ℨ C.
Maſtiches	℥ I.
Croci	tantundem
Nardi indicæ	Singulorum ℥ I.
Cinnamomi	
Carpobalſami	
Aſſari	

SE. Hanc compoſitionẽ ſuperius etiam adduxiſti. BRA. Adduxi: ſed nunc ut oſtenderem ex quibus pararet Themiſon, adducere denuò non ſum grauatus. Tamen huius medicamenti pondus in ſimplicibus diuerſum eſt apud Aſclepiadẽ, & Andromachũ: nẽpe Aſclepiades aliorũ ſimplicium ℥ miſcet, hoc eſt pondo drachmas argẽteas octo aut ſeptem ſemiſſem. Andromachus autem ℨ. VI. conueniunt ambo in poſitione drachmarum centũ aloes. Andromachus ponit aloen elotam, Aſclepiades non elotam. Andromachus recipit xylobalſamum, Aſclepiades carpobalſamum. Andromachus florem iunci odorati miſcet, quod non facit Aſclepiades. Hic uerò Galeni locus me dubitare facit, An Themiſon ille fuerit, qui Aſclepiadem

dem

dem audierit, cùm Asclepiades adducat hanc hierã tanquam Themisonis Antidotũ: quod an ita sit, nũc curæ nõ sit. idq; satis esto, Themisonis hierã nũcupari, quam (ut eodẽ octauo lib. Galenus refert) simpliciter hierã appellarũt, sed distinctionis gratia apposuerũt dia alces, ut diceretur hiera dia aloes, ad alterius hieræ differẽtiã, quæ dia colocynthidos appellatur: hancq; simplici uocabulo picrã, id est amarã, nũcupabãt. SE. Cũ nõnulli drachmas sex simpliciũ, nõnulli octo ab aloe ponãt, quosnã imitari debeo? BRA. Licet Themison huius cõpositionis inuẽtor unciã posuerit, & idẽ fecerit Asclepiades, tamen cùm facilè sit inuẽtis addere, & quod iam inuentũ est, perficere, Andromachũ & Galenũ posteriores imiteris, qui rem interius considerãtes, sex drachmas solùm simplicium miscuerunt, ut in præcitato loco, & in 2. libro eiusdem uoluminis, & in septimo Methodi medẽdi, & in sexto De sanitate tuẽda uidere est. SE. Erunt igitur omniũ simplicium præter aloen sex drachmæ. BRA. Ab re fortè non erit, si omniũ simplicium quæ hanc cõpositionem ingrediuntur, finẽ consideremus. SE. Imò erit optimũ. Propter quid cinnamomũ recipit? BR. Quoniã, ut Galenus dicit lib. octauo de Cõpositione medicamentorũ secundum locos, præter id quòd tenuißimarũ sit partiũ, additur etiã ut uẽtris meatus simul adaperiat, abstergat, extenuetq;, si quid glutinosum crassum'ue humoribus inhærescat: etenim crassos hos humores ob expurgãtis facultatis imbecillitatẽ aloe nõ solet attrahere. Quare & bliosarum in uentre dispositionũ præstantißimum est remediũ, ut uno die frequenter multos curauerit, qui stomachi

uitio molestari crediti sunt. Iuuat & hoc, & omnes alios affectus ex prauis succos contractos cinnamomum admistum, ut quod uim habeat qua prauas qualitates in naturalem statū reducit. Hic est igitur finis ob quē compositio hæc cinnamomum recipit. SE. Cùm à te aliàs dictum sit nos uero cinnamomo carere, quomodo fiet hæc integra conpositio? BRA. Galenus in sexto De sanitate tuenda libro de hac cōpositione agens, inquit, in defectu cinnamomi accipiendū esse duplum cassiæ optimæ, quam aliàs ea esse uirtute nonnulli putant, ut nihil ab inualido cinnmomo absit: quod tamen non credit Galenus, quia à genroso cinnamomo etiam talis cassia longè superatur: sed inquit, sicuti in boni panis inopia uel uilissimo uescimur: sic in cinnamomi penuria exquisitissima utemur casia. SE. Ergo quia cinnamomo caremus, in hac cōpositone duodecim drachmæ cassiæ, idest canellæ poni debet? BRA. Omnino, si Galenū & antiquos sequi uolueriws, quāuis aloes uis ex hac copia in tali compositione paū denigrabitur. ueruntamen nunc uerū cinnamomū ad nos allatū est, ut tibi post hunc sermonem ostendemus. SI. Non mediocri gaudio afficiar, si antequam moriar cinamomū uidere datū sit. Dic uerò propter quid mastiche hanc compositionem ingreditur? BRA. Galenus octauo lib. de Cōpositione medicamentorū secūdum loco, inquit masticben hanc cōpositionem ingredi, quia apta stomacho gratiaq; odoris, & confringendæ ui aloes medicamētosæ efficax. ut autē de omnibus alijs in summa tibi dicā, aliqua sunt abstersoria & tenuia, alia stomacho apta robore quidē longè cinnamomo inferiora, genus

nus autē idem facultatis habētia. Galenus præterea inquit melius esse loco assari carpesiū ponere. cùm uerò nobis carpesiū desit, assarū ponere curabimus. hæcq; conside ratio est in secūdo lib. de Cōpos. medic. secundū locos, ubi etiā de croco disserit, an sex drachmæ præcipi debe ant, uel pauciores: quia nōnullæ ex his quæ ei adijciūtur, caput feriūt, quod dicit Galenus frequēter sibi accidere ex solo croci odore. Ideo cōpositionē illam optimā iudi cat, quæ recipit croci ʒ.v. aloes ʒ, xc. & cū sint aliqui qui facile capite replētur, pro his iiij. solùm croci ʒ in- ijcit, qua cōpositione in his etiā utitur, qui suffusorū ima ginationes, aut accidētia ex stomachi affectu patiuntur. Quibus autē uenter prohibetur, ut mulieribus quæ non probè purgantur, sex croci drachmas ponit, & quadra ginta aloes. SE. Ergo aloe quandoq; non debet esse cē- tum drachmæ? BRA. Minimè, secundū Galenū in secun do de Cōpositione medicamentorū secundū locos. In se- ptimo autē Methodi medēdi huius rei nihil meminit. At in sexto De sanitate tuenda, dicit se fecisse duas picras, præter illam qua omnes utuntur, quæ habet centū drach mas aloes, & sex alias sex rerū. In una uerò suarum pi- crarū ponit plus eorum quæ calefaciunt, in altera minus: dicit autem immusceri plus calefacientium, si aloes quan- titas dematur, ut si aloe sit drachmæ LXXX. alia sint drach mæ sex. Erunt autem illa quæ calefaciunt minus si aloe multiplicetur, ut si drachmæ XX addantur, sitq; aloe drachmæ CXX. reliqua drachmæ VI. SEN. Optarem ego compositionem unam statam & firmam. BRAS. Fieri non potest quin duæ sint. SEN. Quare? BRAS.

Quia paratam habere oportet picrā ex aloe elotam, & ex non elota: poſtea ſi medicus quicquā addere uoluerit, id facere poterit, aut ex aloe, aut ex alijs rebus. SEN. *Quas uires habet aloe elota, & nō elota?* BRA. *Superius dictum eſt. & Galenus in ſexto Methodi medendi, & in ſecundo & octauo de Compoſitione medicamētorum ſecundū locos, docet, inquies, non elotam aloen minus roborare uentriculū, ſed magis euacuare: ē contrario lotam magis roborare uētriculum, & minus euacuare: quia in elotione tenuiores partes, & quæ habent uim medicamentoſam, abeunt, & eijciuntur.* SE. *Optarim ut compoſitionem illam afferres, quæ Galeni mentem attingere magis uidetur.* BR. *Quamuis in locis uarijs illam probet quæ recipit aloes ℥.c. aliarū rerum ſex: in ſecundo tamen de Cōpoſitione medicamentorū ſecundum locos, & in octauo hanc quæ ſequitur, cōponendam innuere uidetur, & ſeruandam.*

℞	*Aloes*	℥ xc.
	Cinnamomū	℥ vi. *ſiue pro eo caßiæ, id eſt canellæ* ℥ xij.
	Xylobalſami	} ãñ. ℥. VI.
	Aſſari	
	Spicæ nardi	
	Maſtiches	
	Croci	℥ V.

Omnia in puluerem redacta miſceto & ſeruato. SEN. *Quantam huius picræ quantitatem dare oportet?* BRA. *Galenus in 7. Methodi medendi, inquit: Si uelimus exhibere maximum eius modū, dabimus duorum magnorum*

rum cochleariũ mẽſuram: ſi mediocrem modũ, duorum paruorũ cochlearium: ſi minimum modum, unius parui cochlearij menſuram exhibebimus. In ſecũdo autem lib. de Cõpoſitione medicamentorũ ſecundum locos, inquit: datur autem medicamenti ſummũ ℥.i. minimum, dimidium: inter utrunq; pondus alia exhibẽtur, dum quãtitas pro ætate corporis, magnitudine, & conſuetudine euariat. At in octauo euſdẽ uolum. libro, Andromachũ adducit, qui inquit, quibuſdã dari cochleariũ unũ, quibuſdam duo. Galenus uerò exponere uolẽs quid intelligendũ ſit per cochleariũ, exponit drachmã argenteã, quam Romani, inquit, denariũ appellãt. hæc uerò nos ubertim diſcußimus in eo libello, quẽ De ponderibus medicis fecimus. Aëtius lib. 6. cap. 10. exhibet ad cochlearis magni menſurã: ſed ipſe cõpoſitionem facit ex octo ℥ aliarum rerũ, & centũ aloes. Paulus lib. 7. cap. 11. ℥. i. dari iubet. nos uerò in præſentiarum huius picræ uſque ad duas drachmas damus magno profectu. SE. Quomodo antiqui hos pulueres miſcebãt, ut ægris facilius corrigerentur? BR. Galenus, & alij antiqui mixtos ſeruabant, & uario modo porrigebant. Paulus præcitato loco ex hydromelite propinãdos iubet. Andromachus ex aquæ frigidæ cyathis quatuor, aut calidæ. Aſclepiades ex aqua frigida, aut ex uino. SE. Debebãt uinũ & aquam abhorrere per aliquot dies. BR. Galenus tamẽ in octauo de Cõpoſitione medicamẽtorũ ſecundũ locos, inquit, ſatius eſſe ſi ex mulſo aliquis medicamẽtum hoc exhibeat. Verũ ipſe iubet dari cum aquæ cyathis non plus tribus. Idem in 2. lib. cenſet, & in 7. Methodi medendi, ubi

etiam inquit, aliquos excipere hoc medicamentum despu mato melle. SE. Et nos hoc modo puluerem ex melle rosaceo accipimus, & in pilulas conformamus. Compositionẽ igitur parabimus, ut superius edocuisti, ex nonaginta drachmis aloes. BR. Equidem & cum aloe elota, & non elota, & ex melle, uel etiam rosaceo in globum disponito, & in tali loco seruato, ut perspirare poßit: nam probus medicus ea addere sciet, quæ ad ægrotantis intentionem conuenient. Galenus etenim plerunque utitur picra exacuta, potißimùm in libris de Compositione medicamentorum secundum locos: intelligit uerò hanc picram, cui aliud acutum medicamentum additum sit, ut colocynthis, aut helleborũ. SE. Ad quos affectus ualet hæc compositio? BRA. Ad quamplures, sed hinc inde positi sunt in uarijs locis, potißimùm uerò uni affectui succurrit, cum uentriculi parietes materia pituitosa pleni sunt, & uentriculis imbecillioribus succurrit in his qui literis incumbunt, & ualde studiosi sunt, præsertim ex aloe elota, & his quibus mens aliquo studio occupatur. Nũc illa singulatim enarremus quæ ab authoribus dicũtur. Primo igitur (ut Galenus in septimo Methodi medẽdi testatur) ualet ad uitiosos succos qui in tunicis uentriculi habentur. Idem dicit in sexto De sanitate tuenda, & in secũdo & octauo De compositione medicamentorum secũdum locos. Ex secundo eiusdem uoluminis lib. ualet ad suffusionum imaginationes, & ad accidentia ex stomachi affectu. Ibidem ad hos ualet, quibus uenter prohibetur. Ibidem mulieribus cõuenit, quæ non probè purgantur. Ex octauo de Compositione medicamentorum secundum lo

cos,

cos, ubi de ſtomachicis Andromachi *agit, inquit, his dari non debet qui calida & ſicca intemperie afficiũtur, nec qui ſicca cum frigiditate: nec abſolutè his qui ex ſolis qualitatibus particulam aliquã habent uitiatam. Iuuat omnes prauas diſpoſitiones, ex prauis humoribus ortas. Valet ad articulos relaxatos. Ex eodem libro, ubi incipit Antidotum hiera Themiſonis, ualet ad ſtomachi ſubuerſiones. Conuenit æſtuantibus. Valet ad omnem inflationem. Ad tardã cõcoctionẽ. Cõuenit uteri affectibus. Ad urinã probè efficax eſt. Hydropicis, iecorarijs, nephriticis ſuccurrit. mẽſes educit. Succurrit his qui bilẽ uomũt. Inflammationibus interioribus ex hydromelite cõuenit. Ad difficiles ſanorum coctiones ualet. Valet his qui habent bilem in tunicis uentriculi. Robur particulis adhibet, per quas iter moliuntur. Auget calorem locorũ per quos tranſit.* SE. *Eſt ergo mirabile medicamentũ.* BR. *Mirabile, inquã, ſed de illo plus ſatis locuti ſumus.* SE. *Igitur ad alium tranſeamus.* BRA. *Vt lubet.*

SENEX.

P*ilulæ de hiera cum agarico has ſequuntur.* BRAS. *Quomodo has paras?* SE. *Hieram Galeni picram à* Nicolao *deſcriptam ex ſexdecim rebus paro.* BRA. *Simplicia enumera, & componendi modum.* SE. *Superius iterum enumeraui, & integram hanc hieram propoſui, cùm de ſimplici Galeni hiera loqueremur.* BRA. *Ne pigeat ſecundo & illam referre, ut rem ipſam facilius cõſiderare poßimus.* SE. *Hæc eſt ut tibi moram geram, compoſitio,* Pilulæ de Hiera cum Agarico.

℞ *Cinnamomi* ⌉

Spicæ

Spicæ
Croci
Schœni
Aſſari
Xylocaſsiæ
Xylobalſami
Carpobalſami — an. ℈ ij.
Violarum
Abſinthij
Epithymi
Agarici
Roſarum
Turbith
Colocynthidis
Maſticis
Aloes ad pondus omnium.
Mellis quod ſufficit.

BRA. Memoriæ ſubit te ſuperius cõpoſitionẽ iſtã adduxiſſe, ubi de ſimplici hiera loquebamur: illa eſt qua multi in clyſmatibus utuntur: & quoties indicitur hiera picra, hanc tribuũt pharmacopolæ ex melle confectã. faciunt & ex melle roſato pilulas, quas de hiera picra maiores nuncupant. SE. Nos iſtas uocamus de hiera cum agarico. BR. Cur iſtud? SE. Quoniã agaricũ recipiunt. BRA. Cur non uocãtur de turbith, uel de colocynthide? cum utrunq; in eodem & æquali põdere recipiatur? & hæc uehementius ſoluãt, quàm faciat agaricus. SE. Hoc ignoramus. BRAS. Igitur non magis appellari debent de hiera cum agarico, quàm de hiera cum turbith, uel co

locyn

locynthide. nec ſumi debent pro pilulis de hiera cum agarico: nam ita illæ nuncupantur: quia ueræ de hiera pilulæ & agaricus totam compoſitionem ingrediuntur. Sed in hac compoſitione, quam tu paras, & agaricus & alia ſimplicia ingrediuntur: propterea miror, cur uos has pilulas de agarico nuncupaueritis, & eas pro illis de hiera cum agarico exhibueritis. SEN. *Ita didici à ſenioribus huius artis uiris.* BRASA. *Aetate fortè ſeniores erant, ſed eos doctrina iuniores exiſtimamus. Non deſunt tamen pharmacopolæ, qui compoſitionem aliam ſequantur, quam ex* Petro Gallo *accipiunt potius ſcriptore, quàm pharmacopola, huic ſimulem in uno ſolum differentem, quòd hæc epithymum non recipit, illa recipiebat. hæc uerô duas diagridij drachmas recipit, quas illa non recipiebat, & ſimplicium pondus eſt* ʒ.i.
SE. *Extende & tu compoſitionem iſtam, quam nonnulli ſequũtur.* BR. *Eadẽ eſt, tamẽ ne deſideres, ita faciunt.*

℞	*Cinnamomi*		} an. ʒ.i.
	Spicæ	*Croci*	
	Schœni	*Aſſari*	
	Xylobalſami		
	Xylocaßiæ		
	Carpobalſami		
	Violarum	*Abſinthij*	
	Agarici	*Roſarum*	
	Turbith		
	Colocynthidis		
	Maſticis		
	Diagridij	ʒ ij.	

Aloes

Aloes ad pondus omnium.

Cum syrupo de stœchados fiat globus. SEN. Paucißima est differentia inter illam Nicolai, & istam. BRA. Sit quomodocunq;, non est hiera cum agarico. propterea melius recentes quidam fecerunt, qui nuncupant hieram Galeni compositam, aut istam, aut illam quam tu ex Nicolao retulisti. Sunt etiam qui ita particulatim loquantur, omnium simplicium ʒ.ij. aloes ʒ.iiij. mellis colati & expumati ℥.viij. At quicquid sit, hæ pilulæ de hiera cum agarico esse non possunt. SE. Quas ergo deinceps parare iubebis? BR. Non desunt tamen qui minus errēt in hac urbe, & qui compositionem affinem hieræ cum agarico parent. SE. Quænam illa est? BRA. Hæc,

℞ Hieræ Galeni } an. ℥.s.
Agarici trochiscati }
Aloes ℥ I.

Ex melle rosaceo colato conformentur pilulæ. SE. In quo errant hi? BRA. Quia perfectam hieram non accipiunt. SE. Opto ut in hac charta compositionem explices. BRA. Scito aliquos uoluisse agaricum poni ad pōdus omnium simplicium simul, aloe dempta: unde erunt agarici ʒ.xxxv. uel ʒ.xxxvi. Si crocus sit ʒ.vi. Nos uerò putamus satis esse agaricum ad pōdus unius simplicis poni, ut sit ʒ.VI. SE. Cōpositionem istam denique explica. BR. Nónne ex prædictis uerbis accipere potes? SEN. Possem equidem, sed mihi facilius erit te audire. BRA. Hæc est compositio pilularum de hiera cum agarico, quam iubeo te paratam habere hoc modo,

℞ Cinamomi, pro quo casia.i.cannella ʒ. xij.

Mastic

Mastiches
Assari
Spicæ nardi
Xylobalsami
Agarici } ana ʒ VI.
Croci ʒ V.
Aloes ʒ XC.

Terantur, & misceantur, & cum opus est, ea utaris in quacunq; forma uolueris, & si in pilulas reducere placeat, id facias secundũ intentionẽ quam habes, uel ex syrupo de stœchade, uel ex melle rosaceo, uel ex aqua absinthij, uel ex alia simili re. Hæc enim cõpositio capiti, thoraci, & uẽtriculo plurimùm cõuenit. Laudare tamen ut hæc cõpositio parata non seruaretur. sed quoties prudens medicus ea indiget, agaricũ addat secundum morbi exigentiã, nunc plus nunc minus, u. ille rectè iudicabit. Si uerò integram compositionem seruare cupias, pro his medicis, qui cõponendi artem ignorant, quorũ maior est pars, illam parato quam superius scripsimus. SE. Deinceps ita parabo. At quẽ agaricũ accipere debeo? an trochiscatum? BRA. Antiquiores agaricũ non præparabãt in trochiscos reducẽtes, sed eo simpliciter utebantur ut ab arbore uenit: propterea suaderem, ut simplex agaricus sumeretur, nulla re correctus, præsertim cùm hieræ misceatur: imò ipsum in præsentiarũ in puluerem redactum simpliciter exhibeo ex zucharo, & mirè confert.

SENEX.

DE his iam satis. Pilulæ de hiera logodion sequuntur. BRA. Abre non est omnes pilularũ compo- Pilulæ de hiera Logadij.

ſitiones proſequi quæ ab hiera nomen habēt. unde accepit nomen hæc cōpoſitio? SE. Nicolaus dicit nuncupari hiera logodion memphitum, à hiera, quod eſt ſacra, logos ſermo, & memphitum, id eſt impeditio, quoniam his ſuccurrit qui habent impeditum ſermonē, ex quacunque fuerit cauſa. BRA. Ha ha ha. SE. Tu rides? BRA. Ecquis non rideret in tam pulchris nominum etymologijs? Primò Nicolaus ignorat unde dicta ſit hæc compoſitio: nempe uocari debet hiera Logadij, quoniam Logadius medicus fuit apud antiquos celeberrimus, qui huius hieræ inuentor extitit. unde nuncupari debet hiera Logadij, non hiera logodion. Superius etenim docuimus antiquiores medicos, qui in aliqua exiſtimatione fuêre, ſuas quaſdā compoſitiones habuiſſe, quas hieras uocabāt, & quibus potiſſimùm utebātur. Sed ut in nomine errauit Nicolaus, putamus non minori errore duci in ipſa cōpoſitione: propterea tu Nicolai cōpoſitionem hieræ Logadij adducito, ut antiquæ cōpoſitioni conferre poſſimus. SE. His uerbis Nicolaus ſuam hieram Logadij deſcribit.

℞ Interioris coloquintidæ
Polypodij } ana ʒ ij.
Euphorbij
Polij
Cocognidij } añ. ʒ I. s. gr. VI.
Abſinthij
Myrrhæ } ana ʒ I. gr. xij.
Centaureæ
Agarici
Ammoniaci thymiam.

Folij

Folij Spicæ Squillæ Diagridij	an̄. ʒ I.
Aloes Comarum Thymi Caßiæ Camedreos Bdellij Praßij	an̄. ℈. I. gr. xiiij.
Cinnamomi Opopanacis Castorei Aristolochiæ longæ Piperis albi Piperis nigri Piperis longi Croci Serapini Petroselini	an̄. ʒ. s.
Hellebori albi Hellebori nigri	an̄. gr. VI.
Mel quod sufficit.	

Hoc intellige pro hiera ipsa Logadij componenda: nos enim accepto melle rosato colata catapotia cõformamus. BRAS. In hac Nicolai hiera Logadij plura simplicia sunt, quàm in uera illa antiqua Logadij hiera, nec idẽ est in simplicibus pondus. SE. Refer tu, si me amas, uerã Logadij cõpositionem. BRA. Hæc est. SE. A quo authore

illam accepisti? BRA. Ab Aëtio lib.3.cap.III.dicente, Hiera Logadij. Postea talis compositio subsequitur,

℞	Pulpæ colocynthidis	℥ ij. ß.
	Scyllæ assatæ Agarici Ammoniaci thymiamatis Thymi Scamonij	Singulorũ ʒ xx.
	Corticis hellebori nigri Hyperici	añ. ʒ x.
	Epithymi Bdellij Polypodij aridi Aloes Chamædryos Marrubij Casiæ	Singulorũ ℥ I.
	Myrrhæ troglodyticæ Piperis albi, longi, nigri Cinnamomi Croci Opopanacis Sagapeni Castorij Petroselini Aristolochiæ longæ	añ. ʒ iiij.

Assumito in melle. Exhibitio integra ʒ.iiij.media tres, minima duæ. ubi uerò exhibẽda sit, addito salis cochlearij semis. Hæc est hiera Logadij, quæ recipit solùm cum melle

melle simplicia XXV. Illa uerò quam Nicolaus citat triginta tria simplicia cum melle recipit. SE. Igitur non est illa Logadij? BRA. Non, ut uidetur. Eadem ratione illa quæ à Serapione citatur non est Logadij, nec illa quam dicit esse secundũ descriptionẽ Philagrij, & alia secundum Pauli descriptionẽ. SE. Deinceps compositionem istam hoc modo parabo. BRA. Non errabis, nam summum uirũ Aëtium imitaberis. Simplicibus igitur in puluerem redactis, in catapotij formã reduci possunt, uel ex melle rosato colato, uel ex alia re, secundũ exhibẽtis intentionẽ. SE. Sunt'ne illæ descriptiones probãdæ, quæ ab Auicenna referuntur? BRA. Neq; illas probarẽ, nisi Aëtij modo corrigantur, quẽ imitari studeas, quoad meliora inuenta sint, si inueniri poterunt. SE. Quibus affectionibus succurrit hæc compositio? BRA. Multis. nam conuenit locutioni impeditæ ex quacunque fiat causa, modò sit ab humoribus. Atram bilem, & pituitam expurgat, epilepsiæ conuenit, paralyticis, tremorem membrorum habentibus, doloribus capitis cùm diutinis & totum occupantibus, tum hemicranicis succurrit, uertigini confert, oculorum obscuritati, & pleuritidi. Ischiam patientes adiuuat, & arthritim, uarias corporum maculas, & lepras emendat, menstrua prouocat.

SENEX.

DE his satis dictum sit, ad stomachicas pilulas accedamus. BRA. Accedamus quidem & in compositionem quam nullus ferè pharmacopola eandem habet cum alio. Dic tu quam cõpositionem paratã seruas? SE. Illam quam Mesue in principio describit. BRAS. Est

Pilulæ stomachicæ.

igitur prima ex tribus quas refert descriptionibus. SE. *Non ex illis tribus, quæ statim se consequuntur, sed illa quæ in ordine omnium suarum pilularũ est secunda descriptio, & quam dicit stomachum emundare, & iecur, & sensuum membra, atq; iuncturarum instrumenta, & quæ tam bilem atram, quàm flauam, & pituitam educunt.* BRA. *Descriptionem eius affer.* SE. *Hæc est.*

℞	Hieræ picræ	ʒ	vij.
	Trium myrobalanorũ	ʒ	iij.
	Agarici	ʒ	ij.
	Turbith boni	ʒ	x.
	Epithymi Cretensis Anisorum	} añ. ʒ	ij. s.
	Salis indi	ʒ	ij.
	Absinthij Scamonij	} añ. ʒ	iij.

Fac pilulas cum penidiarum ʒ. *iij. & succo scariolarũ. dosis* ʒ. *ij.* BRA. *Iam noui quas stomachicas pilulas in tua officina serues: suntq; & alij pharmacopolæ qui easdem conficiunt. Medici uerò re non perspecta neq; considerata, in omni ferè uẽtriculi affectione, & potißimùm in imbecillitate, stomachicas pilulas instituunt dandas: cum tamen præter euacuationem hæ uentriculo mirè obsint. Sed compositionem istam preßius contemplemur.* SE. *Quomodo intelligis obesse uentriculo?* BRA. *Quia ipsum perturbant, & imbecilliorẽ reddunt: nam magna turbith copia hanc cõpositionem ingreditur, nempe* ʒ. *x. At mirè uentriculum peruertit turbith, ut nõnulli ignari putarint, turbith à turbando dictum esse: adde & scamonium*

monium non conferre uentriculo, imò ualde obesse, & agaricum, & quamuis nulla ingrediantur quæ uentriculum roborare poßint, tamen ab his quæ illum perturbant superantur. sed cur tu diligentißime Senex, hanc compositionē sequeris, cum alij pharmacopolæ descriptiones alias habeant? SE. *Ita didici à præceptore meo antiquo seplasiario.* BRA. *Certus sum non esse tres seplasiarios Ferrariæ qui eandem compositionem seruent. Nam & tu, & alter, eam quam retulisti descriptionem seruatis: nōnulli uerò in suis officinis descriptionem habent, quæ à Mesue posita est, & dicit stomachum & digestionem adiuuare: cerebrum & stomachum à corruptis humoribus purgare, & appetentiam excitare.*

℞	Hieræ picræ		ʒ x.
	Trium myrobalanorum	} an̄.	ʒ ij.
	Absinthij		
	Masticis	} ana	ʒ iij. s.
	Anisi		
	Bellerici		
	Emblici		
	Agarici		
	Gingiberis		ʒ ij.
	Caryophyllorum	} ana	ʒ I.
	Salis gemmæ		
	Squinanti		
	Turbith		ʒ xij.

Confice cum succo absinthij, & da ʒ. ij. uel iij. SE. *Non uidetur esse inter nostrā & hanc descriptionē magna differentia.* BRA. *Imò in his quæ soluūt nulla, nisi in*

ſimplicium pondere. In his uerò quæ roborant, diffe-runt: quia in ea, qua uteris cõpoſitione aliqua ſunt quæ in iſta non habentur compoſitione: & è contrario aliqua in iſta, quæ non ſunt in tua: tamen ex ſexdecim rebus illa quam nuper attulimus deſcriptio conſtat. Illa uerò qua tu uteris, ex tredecim. SE. *Cuperem omnes pharmaco-polas idem genus ſeruare.* BRA. *Imò & hic eſt magnus medicorum error. nam inſtituũt ſtomachicas pilulas de-glutiendas, ſed quam compoſitionem inſtituant, neſciunt. Non deſunt præterea qui pilulas illas paratas ſeruent, quas* Meſue *ſecundo loco deſcripſit, & dicit eſſe in in-tentione priorũ, id eſt, illarum quas nuper adduximus.* SE. *Neq; deſcriptionẽ iſtam prætermittamus.* BR. *En.*

℞ *Trium myrobalanorum* ana ʒ iij.
Roſarum, *Maſticis* } ana. ʒ ij.
Cardamomi, *Ligni aloes*, *Sãdalorũ citrin.*, *Cubebarum*, *Caryophyllorum*, *Nucis muſcatæ*, *Squinanti* } ana ʒ. ij.
Rauedſceni ℥ ß.
Turbith ʒ vij.
Aloes ad pondus omnium.

Confice cum uino odorifero. SE. *A prædictis non mul-tum differunt.* BRA. *Omnes idem cẽſent: tamen ſimpli-cibus conſideratis, quæ utraſq; cõpoſitiones ingrediun-tur,*

tur, & simpliciũ põderibus non parum differre uiden=tur, quamuis in intentione non sit magna differentia. Sci=to tamen maiorem pharmacopolarũ numerum pilulas il las stomachicas paratas seruare, quas Mesue suas esse di cit, quæ caput & stomachum expurgant, & omni tẽpo=re sumi possunt. earum autem descriptio hæc est,

℞	Turbith	ʒ	x.
	Masticis	ʒ	iiij.
	Rosarum	ʒ	iij.
	Aloes bonæ ad pondus omnium.		

Confice cum succo absinthij. SE. Non me fugit quãplu res hanc cõpositionem paratam seruare, & quãdo opus est ʒ. I. uel ʒ. I. S. præbere: tamẽ ego potius descriptionem primã secutus sum, tum quia ita imbutus sum à pueritia, tum quia multa uentriculũ roborantia recipit. BR. Ex=tat & alia apud Mesuem pilularũ stomachicarũ descri=ptio, quæ cæteris leuior est, & à nullo paratur pharma=copola, quod sciam, ipsaq́; caput etiam & stomachũ ex=purgat, quam ne desyderes, referre statuimus.

℞	Aloes	ʒ	vi.
	Masticis } ãñ.		
	Rosarum }	ʒ	ij.

Confice cum succo solatri. SEN. Ex tot tamq́; uarijs compositionibus quam præcipuè sequi debemus? BRA. Cum hę pilulæ stomachicæ nuncupentur, stomacho po=tißimum opitulari debẽt. Optarim ego, ut probus medi=cus non segniter cõsideraret, qua re indigeat stomachus, quaq́; affectione sit laceßitus: propriè autem stomachus uentriculi os etiam significat: quamuis & plerunque

pro fundo ipſo accipiatur. Nunc tam pro fundo, quàm pro ore, & omni alia parte accipitur. Si ergo ſtomachus male affectus ſit, affectio ipſa conſideranda eſt, qua afficitur, an ſit ſola qualitas, uel etiam ſit cum materia. Si ſola qualitate afficiatur, alterare ſolùm opus eſt, & non euacuare, idq; fit per oppoſitas qualitates tam intrinſecè quàm extrinſecè. Si materia adſit, genus materiæ conſiderare oportet, an pituita, an bilis, an atra bilis, an mixtæ materiæ: tuncq; euacuandum, ut materia exigit. Scito autem hìc ſermonem non fieri de materia, quæ in cauitate ſit uentriculi, ſed de illa quæ continetur in uenis & eius rugoſitatibus: nam quæ in cauitate eſt facile educitur, & plerunq; natura ipſa ſponte per uomitum illam expellit, quandoque per inferas ſedes. Si uerò materia in his uẽtriculi uenis & in ſenſibilibus meatibus contineatur, ſecundũ materiæ genus eo medicamento uti debemus. Si ergo materia ſit pituitoſa, medicamẽtum propinamus pituitam educẽs: ſi bilioſa, bilem: ſi atrabilaria, medicamẽto atram bilem educente utamur: ſi materia ſit mixta, & medicamentũ ipſum mixtũ ſit. Adde, ſi eadem materia in capite abundauerit, ea addẽda eſſe, quæ à capite educũt. SE. Quid inferre tẽtas per hunc tuum tam prolixum ſermonem? BRAS. Hoc ſolùm quod quiſque notare debet, Medicum primò componendi regulas addiſcere. Addiſcat ergo, addiſcat uerè medicus ſimpliciũ naturam, & cõmiſcendi modum, & ſecundum humoris genus, & membri peccantis ſimul miſceat ſimplicia, & medicamentum ad ſuum commodum & ad ægri ſalutem paret. SE. Non erit fermentatum tam breui tempore.

BRAS.

BRA. Non indigent fermentatione huius generis medicamenta, quæ ad unã tertiã formam non deducuntur, sed unumquodq; simplex medicamentũ per seipsum educere debet, imò si unum simplex post aliud sumeretur, nihil referret. SE. Si per hũc ordinẽ incederẽt, non indigeremus cõpositis medicamẽtis. BR. Hoc summè probo, ut in officinis sint paucißima cõposita medicamenta, præsertim ex catharticis: sed medicus prõptus esse debet, & doctus, statimq; ex simplicibus cõposita parare, ut ægritudini cõuenit quã curãdã suscepit. De egregijs uerò illis medicamentis, quæ tẽpore lõgiore indigẽt priusquã cõcocta sint, qualia Theriaca, Mithridatũ, secus dicendũ est: nam illa parata habere præstat. Vnde si has pilulas ad unguẽ contemplemur, uentriculo parũ conuenire uidentur, ultima descriptione dempta. Tamẽ in præsentiarum cõpositiones ipsas ad uerbum examinemus. Primo recipiunt hieræ picræ Galeni ℥.vij. Est illa de qua superius in uarijs locis apud Galen. descriptũ est. SE. Nónne hæc Galeni hiera uentriculo cõuenit? BRA. Imò (ut Galenus in septimo Methodi medẽdi lib. refert) præstãtißimũ est hoc medicamentũ ad uitiosos succos, qui in tunicis uẽtriculi habẽtur. SE. Hoc Galeni medicamẽtum leue uidetur. BR. Galen. præcitato loco docet esse leue, mediocre, & forte secundũ quantitatẽ quam accepimus: nempe mediocris modus est, si eo sicco ex aqua utamur duorũ paruorũ cochleariũ mensura. est uerò maximus modus duorũ magnorũ cochleariũ mẽsura, si tẽperetur in tribus aquæ cyathis: minimus modus est unius parui cochlearij mensura. Itaq; hoc medicamẽtum fieri potest,

&

& uehemens, & debile, & mediocre: notaq; Galenum dicētem ualere ad ſuccos uitioſos. Sunt uerò ſucci uitioſi, humores praui cuiuſcunque generis. unde & ſi aloe bilem educat, tamen è tunicis uentriculi omnes uitioſos humores educit: fieriq; poteſt ex aloe elota & non elota, ut ſuperius dictum eſt. Ego igitur quātum in me ſit, ſuaderem hanc Galeni compoſitionem pro ſtomachicis pilulis parari. aliæ uerò, quæ turbith recipiunt, dimittantur. SE. Hæc compoſitio æquè non educit, ut illæ faciūt quæ turbith receperunt. BRA. Imò egregiè educit abſolutiſſimus ille prædictus ex Galeno modus. SE. Tamen non æquè ut Meſue compoſitiones faciunt. BRA. Vltimam Meſue compoſitionem prætermutto, quæ nō recipit niſi aloen, maſtichen, & roſas: aliæ omnes educunt humores, etiamſi uitioſi non ſint. Compoſitio autem Galeni ſolos uitioſos inſequitur. Meſue igitur compoſitiones à capite contemplemur. Primo recipit hieram hanc Galeni ſimplicem nuncupatam, quæ omnes ſuccos uitioſos educit: poſtea decem drachmas turbith, de qua radice in ſimplicium examine diſſeruimus. uolunt authores tenuem pituitam expurgare, quamuis experiētia duce, & craſſam ſimul expurget. Quod ut exquiſitius faciat, à nonnullis gingibere commuſcetur: tamen (ut ipſi Arabes turbith inuentores dicunt) ſubuerſionem facit, & nauſeam, quæ in uentriculi affectibus euitanda ſunt, niſi cum nobis inſtitutum ſit per uomitum euacuare. Recipit præterea tria myrobalanorum genera, id eſt citrinos, chebulos, & indos. SEN. Cur potius hæc genera intelligit, quàm bellericos, & emblicos? BRA. Quoniā ſunt perfectiora

genera:

genera: imò Serapio (quē & alij secuti sunt) in uno capite de his tribus uerba facit inscripto De Myrobalanis. in alio deinde de his duobus, ac si non sint inter myrobalanorum genera computanda. Recipit etiam agaricum, qui pituitam crassam educit, & bilem crassam, & uentriculum mirè perturbat, facta quacunque præparatione. Experientia obseruauimus simplicem substantiam agarici potui dare, lõgè minus obesse, quàm si gingibere, sal gema, spica, oxymelite, uel alia qualibet re misceatur. Epithymum recipit, qui atrabilarios humores educit, & scamonium, quod bilem purgat. Ex his intelligere potes nos hac compositione solùm uti posse, quando omnes succi fuerint uitiosi, & non quando unus solus. SEN. Nónne magis unum humorem educit, quàm alium? BR. Omnino: nã turbith quod pituitã educit, in maiori copia cõpositionem ingreditur, quàm alia, & etiã agaricus. Sed à te peterē Senex prudẽtißime, quid in his pilulis faciãt penidia. SE. Penidia ex saccharo fiũt in aqua dissoluto: propterea iudico apposita esse, ut cõpositio cõstet: nam saccharum ita dissolutum seruat, ne adeò festinè cõpositiones exiccentur. BRA. Conuenientius igitur fuisset dragagantum accipere, præsertim cum in scariolarum succo dissoluat. SE. Quid intelligit per scariolas? BRA. De his in simplicium examine satis dictum est: nam intubi species est, sed syluestris: à Græcis seri dicitur, nostri seriolam, Barbari corrumpentes scariolã uocant: hicq; recentiores affirmant apponi scariolam, ut sit minus calida compositio, ac si tam pauca succi quantitas in tot tamq; rebus calidis aliquid poßit. Dic iterum mihi

hi præstãtißime Senex, quid intelligis per ſal indum? & quid pro eo accipis? SE. Sal nigrum accipio. BRA. Et quid hoc eſt nigrum ſal? SE. Noſtrum quod in uſu habemus ſal, quod nigrum eſt, id eſt minus album alijs. BR. Hic eſt maximus error: nam ad quem finem huic compoſitioni ſal addere? SE. Certè neſcio. ego compoſitiones paro, ut mihi inſtituitur. quid ergo accipere oportet pro ſale indo? BR. Scito indum ſal eſſe antiquorum ſaccharum, quod intra cannas concreſcit, de quo & Auicẽna tractat, ubi agit de linguæ aſperitate, 4. canone, Fen prima. & inquit habere colorem ſalis, & eſſe in dulcedine mellis, de quo in ſimplicium examine perplura. SE. Placet'ne tibi hæc compoſitio? BRA. Non ſolum non placet, ſed & illam quoque ſuſpectam habeo: nam cùm incido compoſitiones, quæ plura ſimplicia recipiunt ſub uno pondere, & alia deinde ſub alio pondere, poſtea alia ſub eodem põdere, hæ compoſitiones mihi ſunt ſuſpectæ, ne omnia pondera præter rationem poſita ſint. Nunc ad ſecundam ſtomachicarum pilularum compoſitionem deſcendentes, dicimus à prima non multum differre, & ipſam æquè omnes humores educere, qui ſunt non tantum in uentriculo, ſed etiam in omni corporis parte: unde non ſunt huic ſoli membro ſtatutæ, imò (ut ipſe refert Meſue) caput & iecur expurgant: quin omnia membra expurgare certum eſt, ſi in maiori copia ſumantur. De tertia compoſitione idem iudicium eſt. Quarta compoſitio, quam dicit eſſe ſuam, & ipſa pituitam & bilẽ educit. Quinta conuenit quodammodo cum ſimplici hiera Galeni. SE. Dic igitur quas pilulas ſtomachicas ſeruare

Sal nigrum.

Sal indum.

re oportet? BRASAVOL. Ego pro stomachicis pilulis simplici Galeni hiera semper utar, & (ut contingit) secundum uarias affectiones simplicia adderem & auferrem, uel potius compositiones illas sequerer, quæ à Galeno octauo de Compositione medicamentorum secũdum locos scriptæ sunt, quas Andromachus & Asclepiades sequebantur. Nunc tu aliud pilularum genus è tua scheda depromas.

SENEX.

Masticinæ pilulæ accedũt. BR. Quis fuit harum pilularum author? SE. Petrus Aponensis, Conciliator nuncupatus, in cap. De indigestione stomachi, uidetur ipsarum inuentor. Est uerò capite 19. Additionum in Mesuem, ne longè requiras, ubi dicit stomachum ab omni læsione præseruare, & esse medicinam uitiosæ matricis, & uiscerum interiorum. BRAS. Affer hanc compositionem. SEN. En, Pilulæ masticinæ.

℞	Masticis	ʒ	iiij.
	Aloes electæ	ʒ	x.
	Agarici boni	ʒ	iij.
	Confice cum succo Altiliæ.		

Notaq́; in calce uigesimiprimi capitis eiusdem authoris iterum repeti. his eisdem utitur Pedemontanus, ubi de medicinis corrupti appetitus agit. BR. Ex his quæ hãc compositionem ingrediuntur, id quod omnia excedit, est aloe. unde potius nũcupandæ essent pilulæ de aloe. SE. Cùm aliæ extẽt pilulæ, quæ suo proprio nomine de aloe nuncupantur, hæ meritò denominationem sortientur à secundo simplici, quod ipsam compositionem copiosius ingre=

i[illegible]ditur. id autem est mastix: propterea non ab re ma stichinæ dictæ sunt. Et hæ sunt quas in nostris officinis pa ramus. BRA. Nos potius loco harum, pilulis de simpli= ci hiera uteremur, & si opus esset, adderemus agari= cum. Tamen apud recentes medicos reperiuntur & aliæ pilulæ mastichinæ nuncupatæ. Non defuêre medici, qui iusserunt nos parare mastichinas alias à Mesue in fine capitis de Caputpurgijs sodæ frigidæ positas. BRAS. Compositionem adducito. SE. Hæc est,

℞ Aloes ʒ vij.
Masticis } an. ʒ iij.
Rosarum
Turbith ʒ x.

Confice pilulas. dosis earum est à ʒ. ij. usque ad iiij. Mesue uocat has pilulas de mastiche, quas stomacho & capiti conferre dicit. BRA. Pro me nunquam sumerem. Vidimus & seplasiarios, qui pilulas Nicolai de aloe & mastiche pro mastichinis parabāt. SE. Quénam est ea= rum compositio? BRA. Hæc subscripta.

℞ Aloes ℥. I.
Masticis ℥. s.
Caryophyllorum } an. ʒ. I.
Rosarum rub.
Croci } an. ℈ ij.
Di[illegible]ridij

Confice cum succo fœniculi, uel absinthij. SE. Compo sitio hæc uentriculum roborare debet? BR. Magis ro= borant illæ quæ de simplici hiera dicuntur, & pluribus affectibus cōducunt, ut apud Galenū intueri licet in octa

uo

uo de Cōpositione medicamentorū secundum locos, & in septimo Methodi libro. Nos uerò si cōpositiones aliquas paratas seruari uoluerimus, quæ mastichen reciperent, ex his unam parari iuberē, quæ ex Andromacho in præcitato de Cōpositione medicamentorū libro à Galeno referuntur, & eam in pilulas reducerem. sed conducibilius est secundum affectum compositionem parare, cum ea indiguerimus. Ad rem uerò redeuntes, mastichinæ pilulæ, quas ex Aponense paras, solum conferunt uentriculo, cum in eo uitiosi sunt succi, & in capite, succi inquam biliosi & pituitosi.

SENEX.

Assaiareth pilulæ mastichinas sequuntur. BRAS. Quis fuit harū pilularū inuentor? SE. Auicenna in prima Fen quarti libri, tractatu primo, capite decimonono, de his mentionem facit. BRA. Non uidi Auicennā de his pilulis aliquam mentionem fecisse: sed cōpositio est, quam Assaiareth uocat, quæ fortè potui datur, uel in aliā formā redigitur. SE. Equidē ab Auicenna nō dicitur pilulas fieri oportere, imò nec addit simpliciū pōdus, quæ cōpositionē ingrediantur. BRA. Quomodo igitur compositionem tuam paras? SE. Gentilem sequor Fulginatem Auicennæ interpretem, qui his simplicibus pondera statuit. Idem facit in suo Antidotario Mōtagnana. BRA. Quónam modo conficiuntur? SEN. Isto. Pilulæ Assaiareth.

℞ Hieræ picræ	℥ I.		
Masticis	}	ana	ʒ iiij.
Myrobalanorum citrin.	}		
Aloes	℥ ij.		

Fiant pilulæ cum ſyrupo de ſtœchade.

Hieram picram, aloe & maſtiche ingrediũtur, hîc ſolum myrobalani additi ſunt. SE. Maſtiche additur ut maior adſit copia ad uentriculum roborandũ, aloeq́; iterũ com miſcetur, ut uehementius educant: myrobalani uerò, ut prohibeãtur uapores acuti calidi ſi in ſtomacho ſint, ne in caput aſcẽdant. BRA. Mihi uidetur hanc cõpoſitionem uẽtriculo potius, quàm capiti cõuenire: nempe aliud nihil eſt, quàm picra Galeni additis myrobalanis, & maſtiche, ac aloe auctis. Syrupus uerò ille, quo conficiuntur & commiſcentur, & ſi capiti conueniat, uentriculo non obeſt, nec in tam magna copia ingreditur, ut multũ prodeſſe poßit: imò pulueres ſolùm cõglutinat. De Auicenna igitur miror, qui proprie pro imbecilli ſolutiuo capitis Aſſaiareth poſuerit: quamuis ſi in copia detur poßit etiã caput purgare. Nam ut Galen. docet in 8. de Cõpoſitione medicamẽtorũ ſecundũ locos, in expoſitione hieræ aloes, medicamentũ eſt imbecille quod euacuat à uentre, & quandoq; à iecore, ſi in ampliori pondere exhibeatur. Tamen ſi aliquis ex ſtomacho caput doleat, hæc compoſitio huic conuenit: ſed ideo conuenit quia ſtomacho confert, quod facilè ex Galeno colligi poteſt, ſecundo de Compoſ. medic. ſecundum locos, ubi de his agit, qui ex ſtomacho caput dolent: quod fit cum uitioſi humores in uentris tunicis fuerint impacti, & ita impacti ut dilui non poßint: ſcitoq́; Galenum præcitato loco potius minuere aloes, quàm augere. Propterea recentes malè faciunt, Auicennæ deſcriptionẽ in ordinẽ referre uolentes, & aloes quantitatem magis augentes, quàm ipſe fecerit, aut facere

uoluerit: imò & præcitato loco Galenus notat crocum minui oportere, pro his qui illum non patiuntur. Non *est igitur compositio quæ simpliciter materias purget, quæ capitis affectiones faciunt, sed tales solum capitis affectiones, quæ à stomacho dependent.* SE. *Vnde acceptum est hoc nomen Assaiareth?* BRA. *Ego à te peterem. est enim Mauritanum nomen.* SEN. *Vnde originem habeat coniectari nescio.* BRA. *Et ego minus: imò & hoc nomen corruptũ esse puto. Scito autẽ Galenũ in principio secundi capitis secũdi libri de Cõpositione medicamentorum secundũ locos, in capitis dolore hieram exhibere: sed addit exacutam, ac si dicat per aliud simplex redditã acutã & uehementẽ: ut inferre liceat hierã capiti ualere, si alia addãtur.* Et *nunquã pro capite has pilulas deglutiẽdas iubemus, quin agaricũ addamus, aut alia quæ à capite educũt, uel nisi affectio capitis à uẽtriculo proueniat.*

SENEX.

Pilulæ de rhabarbaro accedũt. BRA. *Quid aliud sunt hæ pilulæ, quàm rhabarbarum ipsum in puluerem redactum, & in pilulas conformatum?* SE. *Imò est alia compositio, quam paratam seruamus.* BRA. *Quænam est?* SE. *Hæc.* Pilulæ de rhabarbaro.

℞ *Rauedsceni* ʒ iij.
Succi liquiritiæ }
Absinthij } aã. ℥ I.
Masticis }
Myrobalanorum citrinorum ℥ iij. s.
Seminum fœniculi }
Apij } aã. ʒ s.

Trochiscorum dia rhodon ʒ iij. s.
Specierum hieræ picræ Galeni ʒ. x.

Confice cum aqua fœniculi, & da ʒ. ij. cum aqua casei calida in sero. BRA. Raued sceni Rhabarbarũ est. SE. Equidem, & etiam raued simpliciter rhabarbarum est: tantum differt raued sceni à rhabarbaro in solo & patria: quia hoc in Barbaria nascitur, quæ pars Aphricæ est, illud in Sceni, quæ est alia pars. BRA. Ita arbitror: tamen apud Mesuen alia cõpositio est de raued: & cum raued sit rhababarum, erit alia compositio de rhabarbaro. SE. Videamus hanc compositionem. BRA. En Mesue liber, uerte folium, adhuc aliud, lege hanc compositionem quæ in tergo est. SE. Ecce iam lego.

Pilulæ de Raued sceni.

℞	Raued sceni	ʒ vij.
	Ammoniaci	ana ʒ x.
	Serapini	
	Bdellij	
	Laccæ	ʒ viij.
	Opopanacis	ʒ iiij.
	Mezereon	ana ʒ iiij.
	Gummi	
	Turbith	ʒ x.
	Spicæ	ana ʒ v.
	Polij	
	Aloes	
	Masticis	ʒ ij.
	Myrobalanorum citrinorum	ʒ x.

Gummi in uino dissolue, & fac pilulas. dentur ij. ʒ. cum aqua casei. SE. Nos hac compositione non utimur. Sed cum

cum à medicis pilulæ de rhabarbaro indicũtur, illas damus, & paratas seruamus, quas ex ipsomet Mesue superius retulimus. BRA. *Hæ secundo loco adductæ sunt uehemẽtiores & efficaciores, ualentq́; ad obstructiones splenis atque iecoris, & ad hydropem. Tamen & illas quas superius adduxisti, ad idem ualere certũ est, & ad febres diutinas ex diuersis humoribus genitas, glutinosis & putridis.* SE. *Ad easdem igitur affectiones adhiberi possunt?* BRA. *Ad easdem, sed secundæ uehementiores sunt, & efficaciores primis. Verùm cõpositio hæc à me nunquã probabitur: sequaris igitur tuã illam cõpositionem, quæ apud Mesuem in ordine prima est. Reperitur & hæc eadẽ cõpositio apud Serapionem in suo Antidotario, sub hoc nomine, pilulæ de raued. in eo solùm differunt, quòd Mesue septẽ Raued drachmas recipit, Serapio octo: & ubi Mesue legit poliũ, Serapio habet polypodiũ. utrunq; tamen in hac cõpositione recipi potest. Mesue dat ʒ.ij. cum aqua casei, Serapio cum uino: tamen & cum uino & cũ aqua casei dari possunt. Videre autẽ nescimus cur magis de raued nuncupẽtur, quàm de turbith, quod cõpositionem æqualiter ingreditur, & quàm de serapino, uel bdellio, uel ammoniaco, & quàm de myrobalanis citrinis: tamen his authoribus ita denominare placuit, cũ aliæ pilulæ ex alijs simplicibus, quæ hanc cõpositionem ingrediũtur, suũ nomen sortitæ sint. Sed unũ hic notandum est, Serapionem his pilulis addere quatuor sextaria salis, quod nõ facit Mesue: & quãuis sal crassas materias dissoluere poßit, tamen tãta quãtitas in hac cõpositione non cõuenit.* SE. *Sextariũ fortè apud Serapionẽ*

est parua mensura. BRA. Imò est nomen ponderis apud Arabes. SEN. Quomodo hoc probabis, si quis inficias iret? BRA. Facillimè, si pondera in quinti canonis fine apud Auic. adduxero, quæ etiam ex Serapione accepta sunt. SE. Proba igitur, ni laborẽ effugias. BRA. En Auicenna dicit: Mina Romana est ℥.xx. & Mina est sextaria 40. Igitur si Mina est ℥.xx. & sextaria 40. sextariũ erit semiuncia. itaq; in hac cõpositione ingrederentur duæ unciæ salis, quod absurdũ est. imò quia Auicen. post hæc dicit sextariũ esse ℥.VI. essent tres unciæ: propterea arbitramur Serapionis compositionem non esse probandã, sed illam Mesue potius esse recipiendã. Possem & hoc uarijs alijs modis ex horũ authorum cõpositionibus probare: sed id faciemus in ponderũ examine, in quo Græca Arabibus cõmiscebimus, & exponemus. Nunc materiã hanc prætermittamus, ne ex medicamentorũ cõpositionibus ad pondera & mẽsuras transire uideamur. Vnũ tamen animaduersione dignũ est, quod hic à Mesue dicitur, dissoluendũ esse in uino gũmi, quod in pilulis de rhabarbaro non dicitur: id uerò factũ est, quia mastiche sola cõpositionẽ illam ingreditur. hæc uerò sit regula quæ non fallit: In omni cõpositione, in qua gũmi genera aliquot ingrediũtur, cõsiderare oportet, an gũmi in puluerẽ redigi poßit, absq; alia uehementiore exiccatione, an non poßit. Si in puluerẽ reduci poßit, cõpositionem ingrediatur absq; alia dissolutione: si non poßit, tunc dissoluẽdus est, uel in uino, uel in alio liquore. Cum igitur in pilulis de raued recipiãtur serapinũ, bdellium, lacca, opopanax, & gũmi, quorum aliqua dissolui possunt,

Sextarium.

sunt, aliqua non possunt, propterea hic dicit in uino dissoluenda esse. In cōpositione uerò de rhabarbaro, in qua sola mastiche recipitur, non dixit esse dissoluendā, quia mastiche facilè in puluerē reducitur. Nec illud in hac cōpositione prætermittendū est, cum fuerit cōfecta, post aliquod tēpus & etiam breue, adeò durescit, ut in puluerem facilè resoluatur: idq́; faciūt omnes cōpositiones, quæ res glutinosas nō recipiūt. unde suaderem, ut non solùm ex aqua fœniculi, sed etiā ex melle rosato cōformarentur, ut diutius seruari possent. nam uis simpliciū facillimè exhalat, ubi glutinosa res aliqua non adfuerit: & ideò harū pilularum uis diu perdurare nō potest: imò si ueterascūt, in uenenū transmutantur, & uehementia tormina faciunt: quod experta est magno suo incōmodo magnifica & generosa uirago Hippolyta Farusina Quaina, cōmater semper uenerāda, & probitatis ac integritatis specimen: hæc à pharmacopola quodam, à cuius nomine abstineo ne quem offendam, huius generis catapotia accepit: sed antiqua puto illa fuisse, quæ à principio cōfecit cùm artem exercere cœpit: semiscrupulum tantum accepit, & adeò uehemētibus torminibus uexabatur, ut uires ferè deficerent, & plusquam sexcēties egeßit, ex hacq́; occasione ægritudinem incidit laboriosam. uerùm Deo duce pristinæ sanitati restituta est. Ad rem uerò cœptam redeuntes, si alicui rei glutinosæ misceātur, diutius perdurare possunt. quamplures sanitati restituimus ex pituitosis febribus autumno, & hyeme, unam ex his pilulis pondere unius scrupuli alternis diebus uorandā iubentes. SE. Tibi ergo placet, ut pilulæ de rhabarbaro, quas ex Mesue

retulimus conficiantur. BRA. *Illæ fieri debent. uerùm exquisitæ de rhabarbaro pilulæ ex solo rhabarbaro confici debent: neque seruandæ sunt: sed tunc rhabarbarum ipsum in pilulas redigendum, cùm eo indigemus.*

SENEX.

Pilulæ de tribus cum rhabarbaro.

Cum his illæ uenient, quæ de tribus cum rhabarbaro uocantur. BRA. *Cur hoc nomen sortitæ sunt?* SE. *Puto quia sunt pilulæ communes, quibus rhabarbarum addimus.* BRA. *Prius igitur cõmunes istas pilulas considerem.* SE. *Has pro communibus conficio, quamuis notum mihi sit alias esse communes uocatas, quas alij pharmacopolæ conficiunt.*

Pilulæ communes.

℞	*Aloes*	ℨ iiij.	
	Croci	} *añ.*	ℨ ij.
	Myrrhæ		

Confice cum uino albo claro, odorifero. Tamen Pedemontanus iubet cõfici cum aceto: ego autem uino semper usus sum. BRA. *Cur Pedemontanum non sequeris?* SE. *Quoniam longè maioris authoritatis est Rhasis, quàm Pedemontanus. Ipse uerò in quarto ad Almansorem, de pestilenti morbo agens, & eius cautela, ex uino conficit. Alij habent suam compositionem hoc modo,*

℞	*Aloes*	} *añ.*	ℨ ij.
	Croci		
	Myrrhæ	ℨ I. S.	

Conficiantur cum uino albo. BRA. *Differunt solùm in pondere. Auicẽna lib. quarto Fen prima, tract. 4. capite quinto, medicamẽta ad pestilentiã enumerãs, inquit, fieri debere ex aloe, croco & myrrha: at simpliciũ pondus prætermit*

prætermittit. id fecisse arbitror, quia æquale omniũ põdus esse uoluerit. SE. *Has à uobis dictas communes pilulas considerãs, illæ esse uidentur quæ ab antiquis Ruso attributæ sunt.* BRA. *Omnes ita censent.* SE. *Tu ergo in his dubitas?* BRA. *Imò non dubito, cùm nec Rufi sint, nec Rufus compositionem suam in catopotia confecerit: nam potui dabat in pestilenti morbo.* SEN. *Quæ igitur erat apud antiquos Rufi compositio?* BR. *Hæc, quam Paulus lib. secundo, cap. 36. describit.*

℞ *Aloes partes duas.* Pilulæ Rufi.
Ammoniaci thymiamatis partes duas.
Myrrhæ partem unam.

Hæc simul contusa ex uino fragranti colluito, deinde dimidium qnotidie cyathum potui dato. SE. *Crocum ergo non recipit?* BRA. *Non equidem Rufi compositio.* SE. *Cõpositio igitur nostra cõueniens non est?* BR. *Non equidẽ, si pro Rufi cõpositione fiat: sed si alia sit cõpositio, quæ ita ab Arabibus nuncupetur, & à recentibus, scilicet pilulæ de tribus, eam ita conficere nihil refert: & cùm illam conficis, si rhabarbarum addideris ad pondus aloes, pilulæ de tribus cum rhabarbaro dici poterũt. Veruntamen nec illæ Rufi erunt: nec illæ, quæ paßim de tribus cum rhabarbaro nuncupantur. Extat in præsentiarum Rufi liber, in quo prædicto modo cõpositio inuenitur, ut superius ex Paulo retulimus.* SEN. *At Mesue, ubi de præseruatione à pestilenti morbo agit, has pilulas, ut superius dictũ est, adducit: nullamq́; de Ruso mentionem facit.* BRA. *Aut sunt alia catapotia, quæ & ipsa conueniunt, & non sunt illa Rufi: aut errat Mesue, Rufi*

propotiſma adducere uolens. Nam & ipſe Auicenna præcitato loco non dicit catapotia cōfici, ſed ſumi talem compoſitionem, quam ex propotiſmate dabat Rufus, & conſentit Paulus. SE. Dicam igitur meas communes uocatas pilulas non eſſe Rufi pilulas? BRA. Equidem. SE. Tamen & in peſtilenti morbo conueniunt. BRA. Hoc nihil impedit: uerum & illis Rufi, ut Paulus refert, nullus unquam ſua potione fruſtra uſus eſt, qui peſtem non euaſerit: ſed in tuis communibus catapotijs minorem croci copiam poni laudo, atq; probo, ne caput lædatur. Dic uerò à quo authore catapotia illa de tribus cum rhabarbaro dicta accepiſti? SE. A nullo authore, ſed ita fieri à meo præceptore didici. BR. Hactenus rem mirā audiui, & quā medici nō cōſiderant. Mihi ſummè placet, te tuas illas de tribus cum rhabarbaro pilulas eo modo conficere ut retuliſti, ex communi tua compoſitione, & rhabarbaro. At alij omnes pharmacopolæ cōpoſitionem aliam parāt, quam pilulæ de tribus cum rhabarbaro nuncuparunt. SE. Quæ nam eſt illa? BRA. Hæc ſubſcripta.

℞ Rhabarbari
Agarici
Aloes } añ. partes æquales.

Miſce, & ex aliquo liquore pilulas cōfice. SE. Quomodo ſunt de tribus cum rhabarbaro? potius nuncupari deberēt de duabus ſcilicet rebus cum rhabarbaro: & cur potius non ſunt de tribus cum agarico, uel de tribus cum aloe? BRA. Ad differentiam fortè illarum pilularum de tribus rebus, quas communes uocas, aut de tribus Rufi: non dicuntur uerò de tribus cum agarico ob rhabarbari nobili

nobilitatem. SE. Agaricus maioribus dotibus insigniri uidetur, quàm rhabarbarum, & est medicina familiæ. BRA. Tamen maiori pretio uēditur rhabarbarum, nec uentriculum offendit. At de hac re quicquid sit, ne magnifaciamus. Pilulæ de tribus cum rhabarbaro apud omnes pharmacopolas hæ sunt quas nuper adduximus: tuæ uero communes cum rhabarbaro, sunt communes quæ rhabarbarū recipiunt. Hoc tantum expeterem in hac re & optarem, ut omnes medici has differentias agnoscerent, ne quandoq; pro suis ægris unam compositionem pro alia reciperent. Sumūtur hæ de tribus cum rhabarbaro, pro capite, thorace, uentriculo & iecore. Sed his omißis, ad alia transeamus.

SENEX.

OCcurrunt post has cōsiderandæ pilulæ illæ, quæ à materia ex qua cōficiuntur, pilulæ de aloe nuncupantur. BRA. Suntńe compositæ, an simplices? SE. Simplicißimæ sunt ex pura aloe elota confectæ. Cur in hoc dubitas? BRA. Quoniam apud antiquos compositio extat pilularum de aloe, de quibus mentionem facit Paulus libro septimo, cap. quinto. & Galen. lib. primo de Compositione medicamētorum secundum locos, cap. primo: ubi Galenus quomodo conficiantur perfectè non exprimit. Ita uerò confici dicit Paulus. Pilulæ de Aloe.

℞ Interioris colocynthidis partem unam
Succi absinthij } añ. partem unam
Aloes }
Scamonij partes duas.

Cum aqua in pilulas redige, quæ ciceris quantitatem æquent,

quent, quarum pro dosi exhibendæ sunt undecim. Scito tamẽ apud Galenum alibi haberi ἀλόης μέρη β. id est aloes partes duas: propterea Pauli codicem mendosum esse arbitror, & eius loco legendum, ut habet Galenus, scilicet partes duas. uocanturq; hæc catapotia à Galeno & Paulo περὶ ἀλόης. id est De aloe, & cõpositæ sunt, & non de simplici aloe. Tu uerò quomodo tuas de aloe congerere soles? SE. Aloen bis terq; quaterq; ex aqua endiuiæ lauo, postea in pilulas conformo. BRA. Habes'ne paratas ex aloe non elota pilulas? SE. Cur hoc petis? quoniam non elota semper in promptu est. BRA. Quoniam Galenus in 2. & 8. de Compositione medicamẽtorum secũdum locos, & in septimo Methodi medẽdi, aloen nõ lotã longè efficaciorẽ esse lota edocuit: quãuis de hac re nonnũquã experiẽtiã fecerimus, & tãta aloes lotæ quantitas efficacius eduxit, quanta nõ lotæ: fortè fuit ex uirorum qui insumpserũt, diuersitate. sed nũc quæ cœpimus prosequẽtes, nónne sunt & qui aloen ex succo caulium lauent, & ex infusione rhabarbari? SE. Imò & qui succo lactucæ utũtur, alij succo plantaginis. BR. Nouimus & qui ex defruto & hepsemate lauabant. SE. Vt uariæ sunt hominũ intẽtiones, & uarij effectus, ita uario liquore lauãt. uerũ lotiones esse nõ debent pauciores tribus. BR. Vna satis superq; est. sed nũc reliqua prosequamur.

SENEX.

Pilulæ indæ. HIc in nostra inordinata scheda pilulæ Indæ suam sedem habent. BR. Quibus constant, & à quo authore accipiuntur? SE. Mesue illas refert, quas & ipse ab Hali accipit. ex his uerò quæ sequuntur, constant.

℞

℞ Myrobalanorum nigrorum
Hellebori nigri
Polypodij } an̄. ʒ. v.
Epithymi
Stœchados } an̄. ʒ. vi.
Agarici
Lapidis lazuli loti
Colocynthidis
Salis Indi } an̄. ʒ. iiij.
Succi eupatorij
Spicæ } an̄. ʒ. ij.
Caryophyllorum ʒ. I.
Hieræ picræ ʒ. xij.

Fiant pilulæ cum ſucco apij. doſis eſt, à ʒ. ij. uſque ad aur. duos: & ſunt ſanæ & expertæ. da cum aqua caſei. hæc Meſue. BRA. Hæc quantitas longè maior eſt apud nos quàm cõueniat. ſatis enim eſt ʒ. I. exhibere, quæ etiã non mediocriter educit, cum ſint efficaciſsimæ & uehemẽtiſsimæ pilulæ in ægritudinib. atrabilarijs: propterea mirè competunt quartanæ febri, duritiei, ac dolori ſplenis, cancro, lepræ, & (ut comprehenſim dicamus) omnibus atrabilarijs morbis, idq́; potiſsimum faciunt cum materia fuerit exuſta. Dic autẽ colendiſsime Senex, Lapidem lazuli quonam modo lauas? SE. Lapidẽ hunc, qui à Latinis cyaneus nuncupatur, in tenuiſsimum puluerem redigo, poſtea accepto lapideo mortariolo, hunc puluerem inijcio, & aquam claram ac limpidã ſuperingero, mox piſtillo in circulum ducto aquã & puluerem ſimul cõmiſceo, hocq́; facio uehementi agitatione, poſtea per

permitto ut resideat, quo facto hanc aquam abijcio, & aliam superingero, iterum uehementi agitatione commisceo, & idem facio, idq; tertiò efficio, postea loco claræ aquæ padanæ accipio aquam rosaceam, & ter eodem ordine lauo, tuncq; perfecta est huius lapidis lotio. BR. Scito neque tres lotiones quandoq;, neque quatuor esse satis, sed lotionem perfectã tunc esse deprehendes (quotquot præcesserint) quando neque color aliquis, neque sapor, neque odor in aqua remanet. hæcq; tibi sit regula lauandi hunc lapidem, & alios simules, ut is est qui Armenus nuncupatur. Abs te uerò discere cupio cur Indæ pilulæ nuncupatæ sint. SEN. Nonnulli putant id nomen sortitas esse, quia carũ usus potißimùm est apud Indos: alij, quia sal Indum recipiunt, & putant sal Indum esse nigrum sal, sed non haberi, longè decepti (ut tu superius ostendisti) quia antiquorum saccharum supra cãnas concrescens, sal Indum est. BRA. Fortè hinc nomen duxêre, quia humores nigros & atros ac melancholicos educunt, qui Indis simules uidentur. Quis hominum mentes scire potest, & primorum impositorum proposita? Notáq; confici has pilulas ex succo apij, quia eupatorij succus non est satis: sunt enim solum duæ drachmæ. hic uerò apij succus apponitur, quia aperiendi uim habet: & cum simpliciter apium dicitur, hortẽse apium sumi debet. est uerò hortẽse apium id quod à nostris petroselinum nunc uulgò dicitur. Omnia ferè quæ hanc compositionem ingrediuntur uim habent educendi atram bilem. Hiera picra addita est ad roborandum, & bilem crassam è uentriculo educendam. Caryophylli ad roborãdum. Colo-

cynthis

cynthis ob pituitosos humores & crassos addita est. Et quia ab abditis membrorum partibus educit, sal Indum recipitur (cuius loco poni debet saccharum, uel etiā candum, quāuis à recentibus negetur) ut aptius pilulæ compaginentur. scitoq; omnia in puluerem redigēda esse & succis commiscenda, & pro hiera picra puluis ipse recipiendus est. Vsus sum his pilulis in flatu hypochondriaco, & miré contulerunt. Nota tamen quòd impetu primo obesse uidentur, postea sequenti die prosunt: imò hic est ferè continuus mos in hoc flatu, omnia medicamenta cùm applicantur, obesse, uel uideri obesse: postea cùm à medicamentis abstinetur, iuuamenta sentiuntur. Denique pro his pilulis, & alijs quæ succos recipiunt, notandum est, succos optimè depurandos esse & excoquēdos, quod nisi fiat, pilulæ breui mucidæ fiunt, & corrumpuntur. Ad alia te conferas.

SENEX.

EN illæ offerūtur, quas medici Arabicas uocant. BR. Et de hoc nomine anceps sum, an quia ab Arabibus inuentæ, an quia in Arabia sit frequens earum usus, hoc nomen sortitæ sint. apud quem authorem inueniuntur? SEN. Apud Gilbertum Anglum, ubi agit de arthritide, & apud Nicolaum in suo uocato Antidotario. ex his uero conficiuntur. Pilulæ Arabicæ.

℞ Aloes ℥. iiij.
Bryoniæ
Myrobalanorum citrin.
Bellericorum
Indorum

Che

Chebulorum	an. ℥. I.
Emblicorum	
Maſticis	
Diagridij	
Aſſari	
Roſarum	

Confice cum ſucco fœniculi, uel abſinthij.

Croci	ʒ. I.
Caſtorei	ʒ. iij.

Dicitq́; Nicolaus has pilulas per centum annos perdurare, & ualere. BRA. Longè decipitur: nam catopotia illa quæ glutinoſa non recipiunt, breui tempore durare poſſunt, & quodammodo lapideſcunt, uel in puluerem rediguntur: itaq́; earum uis euaneſcit, & niſi ſucci ſint bene depurati & excocti, marceſcũt. propterea dicimus Nicolaum decipi, & ſimplicium uim ab his pilulis breui euaneſcere. SE. Idem Nicolaus has pilulas mirabiles facit, inquiens, omnes humores mirificè purgare, & lætitiam inducere, triſtitiamq́; auferre, mẽtem acuere, amiſſum uiſum reddere: imbecillẽ fortiorem faciunt, auditum reſtaurant, memoriam inferunt, ſcotodiniæ conueniunt, uertigini hemicranicæ, oculos iuuãt, dentes, gingiuas, ſtomachum, ſplenem, ſonitui aurium ſuccurrunt: omnes humores in omnibus ætatibus, in omnibus temporibus ſine moleſtia in uiris & mulieribus purgant. BRA. Si hæ pilulæ tot habent uires, igitur medicamentis alijs non indigemus, uel ſaltẽ paucißimis. ſed eas ſingulatim per ſimplicia perpendamus, uideamusq́; an in tota cõpoſitione tot adſint, quæ omnia hæc efficere poßint. Aloe educit bilem,

lem, bryonia ſeroſos humores, citrini myrobalani bilem, chebuli pituitam. Indi atram bilem educunt, & flauam præuſtam. Bellerici & emblici educunt pituitam, & roborant cerebrum, ac neruos. Diagridium bilem educit. Aſſarum, roſæ, maſtiche, crocus, & caſtoreum membra roborant, & uim auferunt fortibus medicamẽtis. SE. *Ergo ad omnia illa conueniunt, quæ à Nicolao referuntur.* BRA. *Certum eſt quod dicis, ſi unumquodque ſecundum ſuam operationem agat: ſed puto nullum eſſe hominem, qui tot indigeat ſemel: tamen ſunt talis generis catapotia, ut abſque moleſtia educant.*

SENEX.

EN pilulæ Sine quibus offeruntur. BRA. *Nicolaus ob earum efficaciam eas Sine quibus eſſe nolo, uocauit: nam tantæ ſunt efficaciæ, quòd nullus ſine illis eſſe deberet. nunc uerò earum compoſitionem referto.* SE. *Hæc eſt quæ ſequitur.* Pilulæ Sine quibus.

℞ *Aloes hepaticæ ablutæ & odoriferæ ʒ. xiiij.*

Myrobal. citrinorum
Bellericorum
Chebulorum
Indorum
Emblicorum
Rhabarbari
Maſticis
Abſinthij
Roſarum
Violarum
Senæ
} *añ. ʒ I.*

Agarici
Cuſcutæ

Temperentur cum ſucco fœniculi. Scammonij bene triti & pulueriʐati ℥.VI. & s. Ita uerò admiſceantur, ut pul uis ſcāmonij per pannū cum ipſo ſucco ſit expreſſus, & ſit tanta ſucci quātitas, quæ ad confectionē pilularū ſatis ſit. poſtea inunge manus oleo uiolaceo uel cōmuni abluto, & reformentur pilulæ in modum ciceris. BRA. Nos in ciceris modum non paramus, ſed tres uel quinque pro ſingula drachma conficimus. purgant humores qui ſunt in ſuperioribus corporis partibus, & proprie conueniūt ſuffuſionibus, obſcuritatibus, & caliginibus oculorum: purgantq́; mirè caput à pituita, bile, & atra bile, uiſumq́; cuſtodiunt ab omnibus prauis humoribus. quamuis medicus quidam noſter Ferrarienſis apprimè execretur has pilulas: nam, ut inquit, cùm lippitudinem nonnunquam pateretur, his pilulis uoratis plurimùm creuit. Sed non animaduertit ipſe, non præceßiſſe totius corporis purgationem, non uenæ ſectionem, neq; humoris præparationem, morbusq́; in augmento uniuerſali erat. Addeq́;, tantam copiam non inſumpſiſſe quæ materias in capite exiſtentes ad infernas partes deducere potuiſſet, ſed à capite ſolùm ad oculos. His etiam conferunt, qui iliacum dolorem patiuntur: & aurium dolorē ſanare ſolent, ſi drachma inſumatur non cum ouo, ut Nicolaus dicit, uel farinata, ſed ſimpliciter deglutita. SE. Igitur omnes humores educunt? BRA. Educunt omnes prauos. SE. Si aliquis non indigeret niſi unius humoris euacuatione, quid tunc agendum eſſet? BRAS. Illa addere oportet uel augere,

quæ

quæ hunc humorem euacuant. ſed poſteaquam huc interloquendum uenimus, non erit ab re, quibus additis id fiet, oſtendere. Si bilem per hæc catapotia euacuare ſit opus, aloen augere oportet, & citrinos myrobalanos ac rhabarbarum, præſertim ſi ſit craſſa bilis. ſi uerò pituita euacuatione indiguerit, agaricum augeamus & chebulos myrobalanos. ſi atra bilis ſit purganda, ſenam auge, & indos myrobalanos. SE. Nónne perfectius eſſet his ſimplicibus uti abſque compoſitione, quæ peccantes humores educunt? BRA. Hoc eſt hoc inquam, de quo conqueror, de quo continuò exclamo, ut medici ſimplicium cognitionem habeant, & componendi artem addiſcant, & nunquam cōpoſitis utantur, ſed ſtatim ſimplicia miſcere iubeant, cum illis indigent. SE. Hæ igitur pilulæ ex tua regula diu perdurare non poſſunt. BRA. In hoc dubitas tu, qui iam antiquatus es in arte? Omnino cito pereunt, quia nihil glutinoſi recipiunt quod uim puluerū ſeruet: nam omnia in puluerē redigenda ſunt, & commiſcenda ſucco: & cum ſuccus per ſtamineum, ut uocant, uel pannum purior redditur, ſimul exprimatur ſcāmoniū. SE. Dubium eſt apud pharmacopolas, an ſcāmoniū pilulas ingredi debeat in tenuiſſimū puluerē, uel in craſſum redactum. BRA. Cur in hoc ambigunt? SE. Quia ſcāmonium uenenoſum eſt, & ſtomacho nociuum: ſi in puluerē redigatur, ſtomachi rugoſitates, & inſenſibiles meatus ingredi poſſet, & dein in his locis permanens grauia ſymptomata inducere. BRA. Si quis ſcāmoniū acciperet in puluerē redactū, & alicui cōpoſitioni non mixtū, ſed uel ex uino, uel ex iure inſumeret, hæc fortè ſymptomata

contingere possent. At cum in pilulas conformatur, multa habet simul cõmixta, & in tota compositione non est amplius puluis, sed craßius quoddam corpus, & cum à uentriculi calore eliquatur, in puluerem non reducitur: sed in substantiam quandam liquidam. SE. Tamen recentes pharmacopolæ in suis cõpositionibus nunquam scãmonium ponunt, sed loco eius præparato scãmonio utuntur, quod diagridium uocant: præparãt uerò in cotoneo pomo. BRA. Optarim ego ubi uel ab Arabibus in suis compositionibus, uel à Nicolao, uel à Græcis scãmoniũ simpliciter dicitur, scãmonium non præparatũ recipiendum esse: nam cùm Arabes & Barbari de præparato loquuntur, semper diagridium dicunt, & Græci σκαμμώνιον τὸ παρασκευαζόμενον ἐν κυδωνίῳ. Scãmonium præparatum dicunt in cydonio, quo tamen in suis cõpositionibus rarò utuntur. SE. Putabam præparationem istã esse nouum inuentum. BRA. Quomodo nouum, si Galenus lib. primo de Alimentorum facultatibus in cotoneo pomo parare docet? unumq; mirũ uidetur, quòd ipse præbet comedendum cotoneum. SE. A nobis tamen uenenosum putatur. BRA. Imò Galenus eodem loco dicere uidetur absq; stomachi subuersione educere. Adest & alter præparandi modus in sartagine ex oleo amygdalarum dulcium. SE. Necessarium'ne est pro his pilulis conficiendis manus ex oleo, uel uiolaceo uel communi abluto inungere? BRA. Ad uim pilularum nihil facit, sed tantum conuenit ut facilius in perfectiorem rotunditatem redigantur. Nunc ad alia transeamus, quoniam ostendere ad quid singula ualeant simplicia, superfluũ uidetur.

SEN

SENEX.

IGitur ad pilulas de fumo terræ accedamus. BRAS. Quæ nam de fumo terræ? SE. Illæ, quæ ab Auicenna lib.4.Fen.7.in curatione scabiei atq; pruritus, in hunc modum describuntur. Pilulæ de Fumo terræ.

℞ Myrobalanorum citrinorum
Chebulorum
Nigrorum } añ. ʒ v.
Aloes ʒ vij.
Scammonij ʒ v.

Confice absq; cessatione cum aqua fumi terræ, & fiant pilulæ. BRA. Neq; istæ diu perdurare possunt, quoniam nihil recipiunt glutinosi. scito tamen facta miscella ex pulueribus & succo relinquenda esse, ut exiccentur in umbra. postea iterum in puluerẽ redigantur, & exiccẽtur in umbra, idq; ter fiat: nam hoc modo diutius perdurare possunt. Sunt pilulæ imbecilles: dari nõ possunt in minori copia, quàm quatuor scrupuli. Educunt humores biliosos, mordicantes, acutos, pituitam salsam, & omnes adustos qui pruritum faciunt & scabiem: tamen non est tanta perfectio in his pilulis quin aliæ sint potentiores etiam in hac intentione, quas ingrediuntur sena, epithymum, polypodium, helleborus niger, præter illa quæ superius in pilulis de fumo terræ ingrediuntur.

SENEX.

CVm de his satis dictũ putes, ad pilulas de Agarico descendamus. BRA. Sunt ne ex puro agarico? SE. Non, quoniam opus est ex his saltem temperentur quæ agaricum corrigunt. BRA. Antiqui nulla correctione Pilulæ de Agarico.

utebantur, sed agaricū simpliciter, uel propinandū, uel deglutiendū exhibebant: & nos in præsentiarū simpliciter agaricū præbemus, & mirè proficit: tamē cōpositionem illam tuam de agarico ediscere libet. SEN. Hæc est.

℞ Agarici Masticis	añ.	ʒ iij.
Radicis lilij cœlestis Praßij	añ.	ʒ I.
Turbith	ʒ v.	
Hieræ picræ	ʒ iiij.	
Colocynthidis Sarcocollæ	añ.	ʒ ij.
Croci	ʒ I.	

Confice cum robub. nos tamen id seruamus, ut agarici loco semper agaricum trochiscatum ponamus, quia agaricum ita confectū habet suam malitiā emendatam. BRA. Non adest tanta malitia in agarico quātam tu putas. Verùm has pilulas considerans, non uidentur esse de agarico nuncupandæ, sed potius de turbith, cum in maiori copia hanc compositionem ingrediatur quàm alia: tamen si uel tibi, uel alij ita nuncupari placeat, digladiari nolim. Dic uerò quis sit harum pilularum author? SEN. Auicenna lib. 3. Fen decima, tractatu primo, cap. 40. & Mesue in cap. de asthmate. BRAS. Auicenna uidetur quodammodo à tua compositione uarius, nam hoc modo describit.

℞ Agarici	partes tres
Radicis lilij Praßij	añ. partem unam.

Turbith

Turbith	partes quinque
Hieræ picræ	partes quatuor
Pulpæ colocynthidis Sarcocollæ	} añ. ʒ I.

Conficiãtur cum robub. Vnum est, quo hanc descriptionem uanam esse ostẽdere possum. SE. Quodnam? BRA. Omnium simplicium pondera indistincte ponit per partes, colocynthida uerò & sarcocollam determinat, quia drachmam unam ponit: possent autem illæ partes tres uel quatuor esse maiores, uel minores, colocynthis uerò & sarcocolla semper habebũt idem pondus, quod absurdum uidetur. SE. In his Auicennæ solùm deest mastix: & colocynthis atq; sarcocolla in tua descriptione sunt ʒ. ij. in hac autem Auicennæ sunt drachma una. Illa præterea compositio quæ à Mesue scripta est, cum his non cõuenit nisi in aliquibus. est uerò in illa parte, in qua loquitur De asthmate. & hæc est eius compositio pilularum de agarico, quarum ipse, ut dicit, inuentor fuit, quæ pectus & pulmonem mundificant, & asthmati ac tussi antiquæ conueniunt. Ita uerò dicit.

℞	Agarici	ʒ VI.
	Ireos Prassij	} añ. ʒ I.
	Turbith Hieræ picræ	} ana ʒ viij.
	Colocynthidis Sarcocollæ	} ana ʒ iiij.
	Myrrhæ	ʒ ij.

Confice cum rob. & dosis earũ sit drachmæ duæ: tamen

drachma una satis est, uel saltem quatuor scrupuli. SEN. Video magnam esse in pondere differentiam. BRA. Imò & hic additur myrrha, quæ in illis nõ est quæ sunt apud Auicennam. SE. Et in nostris adest mastix. In uno autem dubitamus, quia Auicenna accipit lilij radices, Mesue uerò radices ireos: nos uerò in nostra compositione habemus, radicis lilij cœlestis, et accipimus radices ireos. BRA. Scito uulgare lilium, & irim pectori conferre & asthmati: tamen quia in his pilulis eductio expetitur, & lilium non educit, iris uerò educit: propterea laudo ut iridis radices hanc compositionem ingrediantur, & ubi lilium dicit, irim intelligas: sed tuam descriptionẽ (ut uideo) à Mesue accepisti ubi de pilulis agit. SE. Accepi. BRA. Cur non dicebas? SE. Te hoc scire supponebam. BRA. Non est opus supponere, sed mens sua aperienda est, ut decernere poßimus an alij pharmacopolæ eandem compositionem sequantur, & re uera omnes istam paratam seruant, quæ materias crassas à capite mirè trahit, & à pectore. uerùm & Serapio unam quandam descriptionem habet pilularum de agarico, quæ ab his non longè differt. SEN. Quæ nam est? BRA. Illa, quam uocat pilulæ quæ abstergunt pectus, ita confectæ

Pilulæ pectus abstergentes.

℞ Agarici
Turbith
Myrrhæ } añ. ʒ iij.
Radicis lilij cœlestis
Praßij } añ. ʒ I.
Hieræ ʒ iiij.
Colocynthidis

Sarco

Sarcocollæ } añ. ʒ. ij.

Terãtur & cribellentur, & cõficiantur cum rob uel iuleb. SE. Mihi eædem esse ferè uidentur, in solo pondere differunt. Sed ubi sunt apud hunc authorem? BRAS. In suo Antidotario: tamen non uocat illas pilulas de agarico, sed pilulas abstergentes pectus: imò post hanc compositionem quandam habet, quam pilulas de agarico nuncupat, quæ ab hac prædicta multum differt. SE. Ne quicquam prætermittamus, refer pilulas istas Serapionis de Agarico nuncupatas. BRA. Libenter id faciam. in primis uerò te scire uelim, ad obstructiones aperiendas à Serapione dari ex camelarum lacte, & hydropẽ soluere, ac iecori ualde conferre.

℞ Epithymi
Aloes } añ. ʒ. VI.
Agarici ʒ. iiij.
Scammonij
Petroselini
Anisi
Seseleos } añ. ʒ. ij.
Seminis apij
Dauci

Non exprimit deinde Serapio ex quo liquore conficiendæ sint. SE. Nihil habent cum nostris de Agarico pilulis. BRA. Saltem parum habent. nunc ad illas quæ in communi usu sunt, redeamus, quæ ratione simpliciũ ingredientium, omnes humores educere aptæ sunt, potissimum uerò biliosos & pituitosos. omnia in puluerem redigenda sunt, deinde in mortariolo sæpe miscenda, &

adeò commiſcenda, ut corpus unum fiat neque molle neq; durum. Ratione ſapæ quæ nonnihil habet glutinoſi, diutius perdurare poſſunt, quàm illæ quæ uel ex uino, uel aqua, uel ſucco aliquo conformantur.

SENEX.

Pilulæ aureæ. HIc Aureæ pilulæ ſedem ſuam nactæ ſunt. BRA. In omni pilularum genere nullæ ſunt quæ tormina minus inducant, & naturam minus laceſſant iſtis: quamuis ſint in educendo uehementes, imò alijs multis uehementiores. Earum uerò compoſitio in medium afferatur. SE. Hæc eſt quæ ſequitur, ex Nicolao accepta.

℞ Aloes
Diagridij } añ. ʒ. v.
Roſarum
Seminis apij } añ. ʒ. ij. s.
Aniſorum
Seminis fœniculi } añ. ʒ. I. s.
Croci
Interioris colocynthidis
Maſtiches } añ. ʒ. I.

Informentur in modum ciceris cum aqua infuſionis dragaganti: dentur in ſero nouẽ uel undecim, cum mulſa aut cum uino. Nos autem hoc pondus non ſequimur, ſed drachmam unam damus, uel ſcrupulos duos, & tres pilulas conficimus, uel quinque, uel unam, uel duas, ut ſumentibus placet: nõ enim de numero pari uel impari curamus, modò res ipſa ex integro pondere ſumatur. BRAS. Et quæ cura adhibẽda eſt numero, cùm nec lupus numerum curet? tamen quanto pauciores ſunt, tanto diutius commo

rantur

rantur in uetriculo, quia plures ex una drachma facilius liquescunt, quam una sola. sunt ad unguem moderata catapotia, quibus lubentißimè utor, cùm à capite materias crassas, & etiam tenues, biliosas atque pituitosas educere uolo: omnibus conueniunt sensibus, & potißimùm ui sui: iecori conferunt ac uentriculo, & flatus mirè expellunt. nulla est apud recentes (ex magnis) tutior compositio ista: nam & si diagridium recipiat & interiorem colocynthidis partem, ab alijs tamen sex rebus moderãtur, & aloe ipsa uentriculo conducit, & uim fortium medicamentorum reprimit. Venetijs nonnulli has pilulas seruant Nicolai more factas, nec totius compositionis globum conficiunt: quod fortè malum non est, quia dragagantum etiam in tam parua massa totius compositionis uim seruare potest. SE. Quid intelligis per interiorem colocynthidis partem? BRA. Miror cur in hoc dubites. SE. Non est mirandum, quoniam nonnulli & semina & interiorem pulpam intelligunt. BRA. Sola pulpa & caro huius syluestris cucurbitæ accipienda est, quamuis & semina ipsa educant. apud antiquos enim cùm de interiori colocynthidis parte sermo fit, pulpam semper intelligunt: imò & ipse Mesue in trochiscis alandaal, colocynthim seminibus purgandam esse iubet. SE. Et ego eram huius sententiæ, neque unquam in tali compositione recepi semina. BRA. Rectè fecisti. SEN. Hoc etiam silentio prætereundum non est, nonnullos pharmacopolas pro aureis nuncupatis pilulis, eas quas de turbith uocat Mesue, paratas habere, & quas recentes turbitatas nuncupant, & aureæ Mesuæ dicuntur. BRAS. Errant mirè:

uerum

uerum ne compositionem istam prætereamus, eam referas. SEN. *Hæc est.*

℞	*Turbith boni*		ʒ. xvi.
	Aloes	℥. I. s.	
	Masticis	} añ. ʒ. vij.	
	Rosarum		
	Myrobalanorum citrinorum	ʒ. x.	
	Croci	ʒ. iij.	

Confice cum succo absinthij. BRA. *Et hæ quoque pilulæ uehementes sunt & minus correctæ ueris* Nicolai *Aureis: nam tormina inducunt, quæ ob turbith solũ contingere putamus, cum reliqua simplicia potentiã habeãt reprimendi uim fortium medicamentorum.* SE. *Ad Aureas* Nicolai *redeuntes, in ipsis unum addo, quod & à multis additur pharmacopolis, quãuis à* Nicolao *dictum non sit.* BRA. *Quid hoc est?* SE. *Addo duplum scãmonij.* BRA. *Cur id facis?* SE. *Vt uehementius educant, alioqui sunt imbecillioris potentiæ.* BR. *Hoc absurdum uidetur, & à nemine sani capitis faciendum: nam potius augendum est pondus totius compositionis: & si non es contentus integra drachma, scrupulos quatuor exhibe, aut quinque si opus est: puto etiam omnes pharmacopolas non augere scãmonium, ut tu facis.* SE. *Maior pars auget.* BRA. *Hæc est causa, cur quandoq; uehementer educant, quandoque ineptius, ut à diuersis pharmacopolis accipiuntur. Suaderem uerò, omnes pharmacopolas* Nicolai *cõpositionem præcisè parare, & nihil augere: nam drachma ex illis egregiè educit. Notaq; has pilulas diu perdurare, & eandem uirtutem seruare, quia ex de-*

coctione

coctione uel infusione dragaganti cõficiũtur, quæ glutinosa est, & apta uim simplicium eas ingredientium diu seruare. Ita uerò fieri debent: omnia in puluerem redigantur, & optimè commisceantur, & in unum globum coaceruentur. SE. Tamen ratione dragagãti durissimæ efficiuntur, & ferè lapideæ. BRAS. Id uerum est: sed cum statim humiditatem sentiunt, liquescunt: Idemq; in uẽtriculo faciunt, & ob dragagãti lentorem, simplicium uis seruatur: quod aquæ facere non possunt, uel succi. Tamen à pharmacopolis in præsentiarum maior pars pilularum ex melle rosato conficitur, quod ut in omnibus non probo, ita nõ improbo. Hæc cõpositio ratione aloes bilem educit, & pituitam: ratione diagridij bilẽ, & hoc facit à remotis partibus, unde & à capite educunt, atq; iuncturis. SE. Ab alijs igitur membris, quàm à capite educere possunt? BRA. Quis ambigit? uentriculum purgant, & bilẽ ab omni corporis parte tam superna quàm inferna educunt. Renes, & iecur expurgant, ac obstructos aperiunt: & si qui frigidi humores in uentriculo scotodiniam fecerint, eos educunt, & hominem à tali affectione liberant: coctionem adiuuant, frigidos humores expellentes, qui illam impediebant, & uentriculum unà calefaciunt. Colocynthis pituitam educit, & glutinosos humores, quos à remotis partibus trahit. Rosæ etiam humores aquosos educunt, & reprimũt uim fortium medicamentorum. Anisum, fœniculi, crocus, mastiche corporis membra roborant, uimq; demunt fortioribus medicamentis: & anisum ac fœniculi flatus exoluunt atq; expellunt. Nihil in ipsis adest, quod propriè

atram

atram bilem reprimat uel educat. SE. Cur dicunt has pilulas potius à capite educere, quàm ab alijs partibus? BRA. Imò & ab alijs partibus educunt, ratione colocynthidis & diagridij: tamen facilius est à capite educere, quàm ab alijs partibus à iecore & uentriculo remotioribus, & hoc est ob situm: nam materiæ facilius descēdunt, & medicamentorum uapores facilius ascēdunt. SE. Cur hæ potius uesperi dantur cum mulsa, aut cum uino? BRA. Supponit hic author, quod propriè purgent caput: illa uerò medicamenta quæ caput purgant, solent post cœnam à recentibus exhiberi, ut medicamētorū uis à uaporibus ciborum in caput deferatur: nihil uerò est quod magis petat caput, uino. uel rara sunt: propterea cum uino exhibet, uel cum mulsa, quia & ipsa aliquo modo uaporosa est. tamē & illa quæ pro capite dantur, ieiuno atq; uacuo stomacho dari possunt: nobis enim magis placet, ut summo mane accipiātur, & is qui accipit, unius horæ spatio dormiat, adeò ut in actum redigantur. Nos his pilulis utimur pro medicamento quandoque in materia turgida, & mirè conferunt: nihilq; refert, uel ex uino accipiantur, uel ex mulsa, uel simpliciter transglutiantur. hoc autem tertio modo diutius in uentriculo morantur, quàm si liquidæ rei mixtæ sint, cum ex liquore facilius & breuius à uentriculo auferantur. In summa uerò hæc catapotia sunt ualde utilia & excellentia, quibus si nōnihil addatur quod uim habeat educendi atram bilem, ad omnes humores, & ad omnia corporis membra erunt & aptißima & facillima.

SEN

SENEX.

Pilulæ Cochiæ huc ueniunt considerandæ. BRA. In his pilulis obseruaui longè diuersos esse pharmacopolas. SE. Propter quid diuersos? & in qua re? BRA. Et in pondere, & in ipsis simplicibus. SE. Ego semper compositionem illam paraui, quæ apud Rhasim est in 7. ad Almansorem, ubi de hemicranea agit, atque cephalea. BRA. Quæ'nam est hæc cõpositio? SEN. Nũc referam. Pilulę cochiæ.

℞	Pulueris picræ	℥. x.
	Colocynthidis	℥. iij. & tertiam.
	Scammonij	℥. ij. s.
	Turbith	an. ℥. v.
	Stœchados	

Misce, & fiant pilulæ ex his, & sint doses decem. BR. Ex his non habetur ex quo liquore, uel ex quo eclegmate conficiantur. SE. Quia hoc non magnifacit. BRA. Id etiam ualde obscurũ mihi uidetur, & sunt doses decem. SE. Hoc ita intelligo, conficienda esse catapotia in modũ ciceris, & dosim esse decem. BRA. Puto decem in pondere esse drachmam unam, uel etiam excedere: de his uerò catapotijs, nunquam excedere drachmã. Tamen scito, & horum catapotiorum genus esse ualde incorrectum, & tormina in toto inferiori uẽtre progignere: propterea eo rarò uel nunquam utor: sed omnes Ferrariæ hanc compositionem non sequuntur, nam multi Nicolai compositionem conficiunt. SE. Nos semper hanc paratam seruauimus. illa uerò Nicolai quæ'nam est? BRA. Hæc, quam dicit esse Galeni compositionem, & probatam ad hemicraneam, dolorem stomachi, & ilij.

℞

℞ Aloes
Absinthij
Pulpæ colocynthidis
Scammonij } æquale pōdus.
Masticis dimidium unius prædictorum.

Confice cum succo fœniculi, uel absinthij, uel solatri, & fac pilulas. dentur secundum quantitatem uirtutis. Hoc mirū uidetur dicere, fœniculi, absinthij, uel solatri: nam hoc est ac si dictum sit cōficere cum calida re, uel cum frigida: sed simpliciter uel frigidam accipere debuisset, ut calida simplicia quodammodo temperaret: uel sola calida numerare debuisset, ut uentriculus ex ipsis roboraretur. Hæc est illa cochiarum compositio, quam multi parant ex Nicolao: quamuis alij Nicolaum referant, tamen diuersam compositionem in pōdere sequūtur. SE. Quam? BRA. Hanc quæ sequitur.

℞ Aloes
Scāmonij præparati
Absinthij
Masticis } an̄. ℥. ij.
Colocynthidis ℥. s.

Conficiantur cum succo absinthij. SE. Videntur etiam differre in simplicibus, & non in solo pondere. nempe hieram non accipiunt, neque turbith. BRA. Mesue ipse in eo capite in quo agit De soda frigida, descriptionem quandam habere uidetur pilularum, quas ipse cochias uocari dicit à Mahumeth filio Zachariæ: sed à Mesue eodem loco unum dicitur, quod non parum absurdum uidetur, scilicet ipsas esse in uirtute hieræ, & hieræ nobilitatem

litatem habere. Verùm illis consideratis, neq; uirtutem hieræ, neque nobilitatem habent: intelligo semper cum simpliciter ab his authoribus hiera dicitur, illam simplicem uulgatam Galeni hieram. equidem dici posset habere uirtutem hieræ, id est sacri medicamenti ad euacuãdas materias quæ in capite sunt: constat uerò esse uehementißimas pilulas, & parum correctas, quæ tormina pariunt. SE. In quo differt hæc compositio ab illa Rhasis, quam nos paratam seruamus? BRA. In pondere, ut percipio. etenim hæc est Mesue compositio.

℞ Pulueris hieræ	ʒ xx.	
Interioris colocynthidis	ʒ VI. s.	
In alio codice habetur,		
Trochiscorum alandaal	℥ viij.	
Scammonij cocti in cydonio	ʒ v.	
Stœchados		añ. ʒ x.
Turbith		

Fiant pilulæ, quarum dosis sit à ʒ. ij. usque ad ʒ. ij. s. SEN. Hæc dosis est nimis ampla. BRA. Imò & quæ præter tormina, alui profluuiũ inducere posset. drachma sola satis est. hæ pilulæ sunt nimis uehemẽtes, & non correctæ: nã sola hiera & stœchas tanta nõ sunt, ut colocynthidis, scãmonij & turbith uim confringere poßint. nec refert quòd trochisci alãdaal colocynthidis loco accipiãtur, & scãmoniũ in cydonio decoctũ sit: quoniã adhuc uis quædã uenenosa in ipsis seruatur, & nihil adest quod turbith medicamẽtosam uim reprimat. In illis idem intelligo, quas ex 9. Rhasis ad Almansorẽ adduxisti: nã & illæ tormina faciũt, atq; peruersionẽ. Non deest apud

eundem Mesuen alia cõpositio, cùm agit de soda frigida ex aggregatione cholerę & phlegmatis, quam Galeno attribuit: & eadẽ est cum illa Nicolai, in mastiches põdere solum differens, quia Nicolaus ponit dimidium, Mesue ęquale pondus. Ita enim dicit Mesue: Galeni cõfectio pilularum cochiarum conferentium sodę permixtę, & mundificantiũ stomachũ, & caput, & instrumẽta uisus.

℞ Aloës
Scammonij cocti in cydonio
Interioris colocynthidis } ana partes ęquales.
Masticis
Absinthij

Confice cum expreßione solatri, uel endiuię. dosis eorum est à ʒ. I. usque ad ʒ. I. S. SEN. Cum apud te correctę non sint, poßuntne corrigi? BRA. Et quis ambigit? SE. Quomodo? BRA. Gummi genera addentes, gingiber, rosas, & illa quę reprimunt uim fortium medicamentorum. SE. Nisi graue tibi sit, hanc compositionem, ut tibi uidetur moderatam in ordinẽ dispone. BRA. Hunc laborem non recuso. Cum uerò maior pharmacopolarum pars Rhasis cochias paratas seruent, illas in ordinem disponemus, atque emendabimus. Illas igitur in hunc modum conficiendas uoluerim.

℞ Pulueris hierę picrę	ʒ	x.
Colocynthidis	ʒ	iij. s.
Scammonij	ʒ	ij. s.
Turbith	ʒ	s.
Bdellij		
Stœchados		

Masti

Mastiches Dauci Galangæ Seminis fœniculi Gingiberis Gummi arabici	ana ℨ I.

Misce, & ex melle rosato conformetur globus, ex quo deinde conficiantur pilulæ, quarum dosis est à ℨ.I. usq; ad ℈.iiij. SE. Putas'ne à capite educere, si ita confectæ sint? BRA. Quidni? nam à longinquioribus corporis partibus trahunt colocynthis, scammonium, & turbith. SEN. Vbi reperiuntur compositiones istæ & Nicolai & Mesue apud Galenum? BRA. Adde & Serapionem pilulas quasdam cochias referre ex Galeno. SE. Quales'nam? BRA. Illas Mesue, ut uideo. nam dicit: pilulæ Galeni, quæ nominantur cochiæ.

℞ Colocynthidis Mastiches Aloës Absinthij, uel eius succi Scammonij	ana partes æquales.

Confice cum aqua solatri. dosis est ℨ.I. SE. Necessariũ igitur est, ut ex aliquo Galeni lib. acceptæ sint. BRAS. Nunquam apud Galen. de his pilulis factam mentionem inuenire potuimus. fortè hi authores librum aliquem Galeno adscriptum habuêre, è quo hæc compositio accepta est: sicuti in præsentiarum libellus quidam circunfertur inscriptus Galeni receptarium, cum tamen Galeni non sit: imò quamplures uanißimas compositiones continet.

SE. Vnde nomen sortitæ sunt hæ cochiæ pilulæ? BRA. Recentiores inquiunt à coccos dici, quod Græcè significat caput, quoniā caput mirificè expurgant: sed unde hoc acceperint, ignoramus. nam coccos apud Græcos, & coccum significat, & granū. Ita fortè dictæ sunt, quia in granorum ciceris modum cōformari debent. uel per excellentiam dicuntur cocciæ, quasi pilulæ, quia Græci uocant pilulas καταπότια & κόκκια. tunc uerò per duplex cc scribēdæ sunt, & absq; aspiratione. Scito autem hanc compositionem hieram picram recipere, quæ pituitā & bilem educit, sed à propinquis partibus: colocynthidem uerò recipit, quæ & pituitam & crassos humores, ac glutinosos à remotis partibus conuehit, & scāmonium bilem flauā. Turbith uerò à remotis partibus crassos etiā humores ducit, atq; pituitosos: stœchas tantūmodo additur ex his quæ uim habēt fortioribus medicamētis frena imponere: tamen & atrā bilem, ac pituitā cōmouere atque educere creditur. Nos rarißimè his catapotijs utimur: & deinceps nunquā utar, nisi præscripto modo paratas seruaueris. SE. Audiui nōnullos, qui palàm profitebantur, hanc Rhasis cōpositionem à Galeni fonte emanasse. BRA. Longè decipiuntur, cùm quia apud Galenū nusquam reperiatur, tum quia Galenus nō nouit turbith, saltem solo hoc ipso nomine. De his uerò satis dicta sint.

SENEX.

Pilulæ Aggregatiuæ.

AGgregatiuæ pilulæ amplius differri non possunt, sed huc cito pede currunt. BRA. Cùm plures sint aggregatiuarū pilularum cōpositiones, id primò abs te petere decreuimus, ut illam dicas quam sequeris, & paratam

ratam seruas. SEN. *Tres sunt apud* Mesuem *sub hoc nomine aggregatiuum compositiones, quarum una dicitur pilulæ aggregatiuæ ex inuentione nostra. hanc seruo paratam.* Maiores *uerò & minores nuncupatæ aggregatiuæ in usu non sunt.* BRA. *Imò non pauci pharmacopolæ &* Ferrariæ, *&* Venetijs, *&* Romæ, *&* Neapoli *maioribus aggregatiuis utuntur, & paratas seruāt.* SE. *Tu uerò quas cæteris præfers?* BRA. Maiores *non despicio: sed ipsis illas præfero, quæ ex inuentione* Mesue *dicuntur, & quas tu parare consueuisti: nam humores omnes prauos educunt, & antiquis febribus conferunt, & his quæ ex diuersis humoribus progignūtur, omnibus capitis ægritudinibus, uentriculi, iecoris, & in summa omnium membrorum conducunt, ut hinc meritò aggregatiuarum nomen sortitæ sint: tum quia uniuscuiusq; generis prauos humores educunt, tum quia ab omnibus membris, tum quia omni ægritudini conferunt. plerunq; ad nos rustici accedunt pro suis ægris medicamēta purgantia expetentes: tamen adeò ignari sunt, ut nec morbum, nec symptoma unum referre sciant, ut opus sit medicum uaticinari.* In *hoc casu plerunque indico ut has pilulas accipiant: nempe omni ægritudini conueniunt, ab omni membro educunt, & cuiusuis generis prauos humores.* Tu *uerò earum compositionem in ordinem referas.* SEN. Id *lubenter efficiam.*

℞	*Myrobalanorū citrinorū* / *Raued sceni*	*ana* ℥ iiij.
	Succi eupatorij / *Succi absinthij*	*ana* ℥ ij.

Scammonij cocti in cydonio ℨ v.
Chebulorum
Indorum
Agarici
Colocynthidis
Polypodij } ana ℨ ij.
Turbith
Aloes } ana ℨ vi.
Mastiches
Rosarum
Salis gemmæ
Epithymi
Anisorum
Gingiberis } ana ℨ i.

Electuarij rosarum quantum sufficit ad aggregationem. Fiat pilulæ crassæ. dosis est ℨ. i. uel ℨ. i. s. BRA. Hæc catapotia multis nobilitate præferuntur, & optimè emendatæ sunt: nam absq; difficultate educunt, & absq; torminibus. si ea considerare tentes, simplicia recipiunt, quæ omne genus humoris educere possunt, & ab omni corporis parte, tam longinqua, quàm proxima: nullumq; recipit simplex catharticũ, cui illa quæ suam uim corrigũt, non addantur. Nota uerò succos illos, qui cõpositionem ingrediuntur, esse integrè excoquendos, & depurandos: alioqui cõpositionem citò mucidam rederẽt, imò ocyssimè nisi esset electuariũ rosatum. SE. Si hyeme compositionem istam parare uoluerim, de succis quomodo efficiam? BRA. Absinthij succus & in profunda hyeme haberi potest. si autem succum illum integræ absinthij ætatis ha

tis habere ſtudeas, qui in menſe Maij exprimi poteſt, eo tempore abſinthium tere, & in torculari exprime per linteũ: itaq́; expreſſum ſerua, aliter non depurãdo. Seruandi uero modus eſt, ſuccum in ueſicam condere, & ſoli exponere: nam ſi depurare uolueris, ut ſolæ tenues partes & aqueæ permaneant, à ſolaribus radijs aquoſitas illa tenuis diſſolueretur, & euaneſceret, quod contingere non poteſt, ſi craſſum ſimul & tenue mixta ſint. Et ſi tibi ueſica non placuerit, ſerua in phiala, uel in uitreo uaſe: tamen & hic ſuccus excoqui poſſet, & depurari, & ita ſeruari. At ſi copiam harum pilularum in menſe Maij parare tentes, quæ tuæ officinæ per annũ ſatis ſit, recentes ſuccos bene depura, ne confectus globus mucidus fiat. Ita uerò compoſitio deducenda eſt: omnia prius in puluerem redigenda ſunt, quibus datũ eſt in puluerem redigi, & in puluerem tenuiſsimum, idq́; effeceris & in colocynthide & in turbith: deinde omnia cum ſuccis bene commiſce. denique cùm ex ſuccis omnia in unum corpus redigi non poſsint, adde electuarium roſatũ, ex quo & pulueribus, ac ſuccis globum conficito, quem ad uſus ſeruare oportet. SE. Nonnulli ſunt qui has pilulas conformant ex electuario de ſucco roſarum, alij ex melle roſato. BRA. Hi omnes errãt, ſed illi minus, qui ex electuario de ſucco roſarũ conficiũt. Etenim aliàs à nobis dictũ eſt, quando in cõpoſitis Meſue medicamentis aliqua compoſitio recipitur, quæ diuerſo modo ab authoribus fiat, ſemper illa accipi debet quæ à Meſue edocetur. unde & huius generis pilulæ ex electuario roſato Meſue confici debent. SE. Nónne intelligis per electuarium roſatum

Mesue id quod ab eodem authore ita conficitur?

Electuarium rosatum.

℞ Succi rosarum rub. completarum lib. iiij.
Zucchari tabarzet lib. I. S.
Tereniabim puri & recentis ℥ VI.
Scammonij Antiocheni ℥ I. S.

Coquantur omnia cum facilitate super ignem, qui sit sicut candelæ, quousque habeat spißitudinem mellis: deinde eijce super illud,

Trochiscorum de spodio ℥ I.
Galliæ }
Croci } ana ʒ ij.
Trochiscorum de berberis ʒ iiij.

Repone in uas uitreum. BRA. Hoc intelligo. SE. Semper in mea officina habui has pilulas ex hoc electuario confectas. BRA. Et id cõuenit: nescimusq́; ob quam causam alij pharmacopolæ rem aliam accipiãt, quàm à Mesue dictum sit. SEN. Arbitror causam esse auaritiam ipsam, quando ob impensam muscatam galliam parare nolunt. BRAS. Quid hoc ad eos? ægri iustè persoluant medicamenta, ipsaq́; sint perfectè concinnata, & nihil in ipsis desit. In his igitur pilulis electuarium rosatum Mesue accipiatur, & non illud Nicolai: suntq́; talis generis, ut diu perdurare poßint. nam electuarium rosatum recipiunt, quod diu perdurare potest: nam glutinosum quodãmodo est, & uim simplicium in puluerẽ redactorũ seruare potest. Ferrariæ igitur maior pharmacopolarũ pars has ex Mesue inuentione conficit. Tamen aliqui, & multo plures in alijs Italiæ urbibus maiores conficiunt, & potißimum Alexandriæ Longobardiæ: imò plures

plures medici maiores probarunt, cuius deſcriptio eſt hæc apud Meſuem.

℞ Bdellij Myrobalanorum citrinorũ Emblicorum	}	an̄. ʒ. iiij.
Turbith		ʒ. xiij.
Seminis apij Fœniculi Aniſi Carui Ameos Origani Roſarum Sceitaragi indi Harmel Hermodactylorum Salis indi Maſticis Ammoniaci	}	an̄. ʒ. I.
Cinnamomi Cardamomi Acori Spicæ Croci Caſiæ	}	an̄. ʒ. s.
Serapini		ʒ. iiij.
Colocynthidis ℥.iij.arbitror legendum ʒ.iij.		
Penidiorum alborum ʒ.iiij.		
Aloes		ʒ. xv.

Confice cum ſucco caulium, & unge manus tuas cum oleo ſambucino. SE. *Ob quid inungunt manus ex hoc oleo ſambucino?* BR. *Huius rei certa ratio non habetur. ex hoc oleo fortè inungunt, quia & ipſum uim habet educendi per inferna.* SE. *Videtur & hæc optima eſſe compoſitio.* BRA. *Neque illam deſpicimus: uer untamen præſcripta longè efficacior eſt quam Meſue inuenit, & potius iure ipſo compoſitio aggregatiua nuncupāda eſt, quàm iſta: nempe plures humores euacuat, & plura ſimplicia exoluentia recipit: imò in iſta nihil adeſt quod bilem ſimpliciter educat, ſicut in illa Meſue ſcāmonium. In hac etiam maiorum compoſitione ſolum adſunt nigri myrobalani qui atram bilem educere ualēt: in illa autem Meſue compoſitione recipiuntur polypodium & epithymus. nec ad omnes ægritudines conuenire poſſunt maiores: imò & ipſe Meſue inquit, hanc compoſitionem ad humores craſſos conuenire & glutinoſos, & inflationem in mirach, & ſtomacho: & hemorrhoidas ſoluunt, & ualent ad dolorem iuncturarum, & iſchiam, & choleram, & podagram ex phlegmate. Vnde liquidò uides maiores aggregatiuas craſſos humores potius educere, quàm tenues. propterea morbis conueniunt ex craßis humoribus potius quàm ex tenuibus, quamuis recipiant aloen. Verum illæ quæ ſunt ex inuentione Meſue, omnia humorum genera educunt.* SEN. *Videntur multo plura ſimplicia ingredi has maiores, quàm illas Meſue.* BRA. *Quid hoc ad rem facit? nam ſimplicium multitudo compoſitionem aliquam potiorem non facit. prætere a aggregatiuæ maiores recipiunt 27. ſimplicia, & illæ Meſue*

decem

decem & octo, postea recipiunt electuariũ rosatũ, quod ex nouem simplicibus conficitur, inter quæ adest gallia moschata, quæ & ipsa multa recipit, & trochisci de spodio, & trochisci de berberis. unde si ex simpliciũ numero compositiones probare uoluerimus, multo plura sunt in aggregatiuis Mesuæ simplicia, quàm in maioribus. Non est simpliciũ numerus, qui peiorẽ uel ineptiorem faciat cõpositionẽ: sed est perfecta cõpositio & per cõponendi regulas aptè disposita, & quæ cathartica recipiat bene moderata, qualis est illa Mesue cõpositio præscripta. SE. Pauca est electuarij rosati quantitas, quæ has pilulas ingreditur. BRAS. Quomodo pauca? nunquam fiũt, quin huius compositionis quatuor uncias ferè recipiant. Tamẽ quia medicorũ opiniones, imò quorũdã ceruicositates adeò in eorum animis fixæ sunt, ut etiam si edoceantur addiscere nolint: propterea qui maiores aggregatiuas absque ratione magis probant, magis probẽt, eis utãtur, & tali gaudeãt compositione: uerùm cum ex succo caulium conficiantur, diu perdurare non possunt. Nam simpliciũ uis non seruatur, quamuis penidia ingrediãtur. nam totius compositionis respectu in modica sunt quãtitate, nẽpe quatuor drachmæ: imò nisi caulis succus bene coquatur & depuretur, citò mucescẽt. SE. In hac tamen cõpositione multa sunt, quæ discußione indigere uidẽtur. BR. Quæ nam hæc? SE. Primùm est inquirere quid sit Sataragi. BR. Hoc nomen uario modo scriptum inuenimus: quandoque Sataragi, alias Sceitaragi, nonnunquam Setoragi. tamen eadem herba semper intelligitur. SE. Quo nomine uti debemus? BR. In his barbaris nominibus

Sataragi. Sceitaragi. Setoragi.

minibus ſemper utor magis barbaro, & quod uehementiorem clangorem excitare uidetur. Ad rem ipſam redeuntes, ſi Dioſcoridis lepidion contemplemur, conſtabit ſtatim eſſe Arabum Sceitaragi. nam Serapio de Sceitaragi agens, Dioſcoridem ita dicentem citat: eſt planta nota, & adminiſtratur cum aqua, lacte, & ſale, & uirtus foliorum eius eſt calida, ulceratiua, & propter hoc fit emplaſtrum cum eis ſchiaticæ, & pungit multum quãdo teritur, & miſcetur cum radice enulæ, & dimittitur ſuper locum ſpatio unius horæ: & ſimiliter ponitur ſuper ſplenem, & linitur ſcabies ulceroſa cum ea, & aufert eam, & delet maculas unguium, & cõfert baras, & dolori ſchiæ. & quidam putauerunt quòd radix ſceitaragi ſuſpendatur in collo habentis dolorem dentium, & ſedat illum. hæc Serapio. Dioſcoridi modò aurẽ præſta, qui ita de lepidio uerba facit: Lepidiõ, quod nonnulli Gingidium uocant, perſpicua omnibus plantula eſt, coniectum in murias lactis inueteratur: foliorum natura exulceratrix & aſpera eſt. propter hoc iſchiadicis illinuntur mirabili effectu, trita cum radice enulæ, impoſitaq; ita uti poſt quartam horæ partem ſoluantur. pariter & ad ſpleneticos adhibetur, lepras emendat eadem: radix dentium dolorem adalligata collo compeſcit. Id igitur quod Serapio de ſceitaragi dixit, idẽ eſſe cum his quæ à Dioſcoride de lepidio ſcripta ſunt, conſtat: tamen ſpatio quartæ horæ partis applicat Dioſcorides, & Serapio integræ horæ. Adducit & Serapio Galenum de ſceitaragi: tamen à Galeno illa dicũtur in lepidio, quæ Serapio dicit. inquit enim: Virtus eius, & ſapor & odor ſunt ſimilia uirtuti,

Gingidium.

uirtuti, ſapori & odori naſturtij, niſi quia eſt minus deſiccatiuum ipſo, & calefacit in quarto gradu. Galenus uerò de lepidio in ſeptimo De ſimplicium medicamẽtorum facultatib. libro ita diſſerit, Lepidion ex quarto eſt ordine calefacientium, ſimile naſturtio, tum odore, tum guſtu, tum uiribus, ſed minus eo deſiccat. Ex his igitur facile ſumi poteſt Arabum ſceitaragi eſſe lepidion Græcorum. SE. *Hoc equidem conſtat ſi Serapionem contemplemur. At ſi Auicẽnam in ſecundo canone legamus ubi inquit, ſceitaragi eſt fruſta ligni parua, ſubtilia, & corti ces ſicuti caryophylli, alia res apud ipſum eſſe uidetur quàm lepidion.* BRA. *Auicenna equidem neſcio quid aliud in principio illius capitis uelle uidetur. mox in proceſſu in Dioſcoridis lepidion atque Græcorum incidit. tu conſydera quibus proficiat ſecundum Auicẽnam, in quo tamẽ quamplura corrigenda ſunt: nam cùm dicit, Aßimilatur enim eius ſapor & odor cordumeni, & ſimiliter uirtus eius. lege ut facit Galenus, naſturtio, & non cardumeni, uel cardamo. & quod legitur apud Auicennam: ſuſpenditur eius radix ſuper aurem eius qui habet dolorem ueſicæ. lege ut Dioſcorides: ſuſpenditur eius radix collo eius qui habet dolorem dentium.* SE. *Optarim ſcire quid ſit hoc Lepidion re, & non nomine: nam idem eſt apud me audire lepidion & ſceitaragi, niſi herbam ipſam ad oculum nouerim.* BRA. *Et ego illam tibi oſtendere curabo. uerum eamus ad diuæ Claræ religioſas, quas corporis Chriſti ſorores uocãt.* SE. *Fortè lepidion religioſum eſt.* BRA. *Non quidem religioſum, ſed in religioſarum uiridario naſcens. multi putarunt her-* Lepidion.

bam,

bam, quæ uulgò raphanus dicitur, lepidion esse, & inter alios Hermolaus Barbarus. uerũ (ut arbitror) decipiun-
Raphanus. tur: nam lepidion lauri folijs describitur, raphanus uerò rumicis folia potius habet. SE. Si lepidion sit Arabum sceitaragi, Auicenna sceitaragi folia similia facit nasturtio. Quomodo igitur lauri folia habebit? BR. Incõstantißimus est & cõfusißimus in eo capite Auicẽna: nam de quatuor rebus simul agit. SE. Quonã modo hoc fieri potuit? BR. Quomodo factũ sit, ignoramus: ita uerò fecisse cõstat. nam primò de sceitaragi indo uerba facit, quod est (ut inquit) frusta ligni parua, subtilia, & cortices sicuti caryophylli. & de hoc fortè ista Mesue compositio intelligit, quoniam dicit sceitaragi indi. secundò de fructu quodã agit, quod inquit declinare ad rubedinẽ & nigredinem. tertiò de duabus herbis simul loquitur, de una quam exprimut & describit, inquiẽs oriri in parietibus antiquis, & ubi non mingitur, & habet folia sicuti sunt folia nasturtij. Deinde est ualde confusus: nam ipsum etiam cõparat folijs cordumeni, uel melius cardami. Denique huius herbæ uires prosequens, lepidij Dioscoridis uires affert: ut hinc uidere poßis quanta sit in uno capite apud Auicen. authorem confusio, quam ab ipsis librarijs factã esse censeri potest, qui in ordinẽ capitis posuerunt, & illa quæ erãt tanquã glossemata, & illa quæ erant in margine ad illũ locum etiam non spectantia. SE. Quid
Hiberis. igitur illud est, quod habet folia nasturtij? BR. Hiberis Dioscoridis, de qua & ipse ita dicit: Hiberis siue carda-
Cardamãtice. mãtice (quamuis nonnulli non καρδαμαντική, sed καρδαμίνη legendum censuerint, à quibus non dissentio, etsi in omnibus

omnibus Græcis codicibus καρδαμαντικὴ legatur, de qua re aliàs) foliũ habet nasturtij, floret semper, sed Vere magis, amplitudine sesquipedis, aut etiã minore: nascitur locis incultis, lacteũ florẽ æstate fundit, quo tẽpore efficacior quoq; habetur. Confundit igitur hoc loco Auicenna hiberim cum lepidio. & Dioscorides sua lingua illud nõ habet in hiberide, floret semper: sed habet σὺν θαλέσῃ ἔαρα. ita uerò ab Hermolao uertitur, qui ex Plinio accepit lib. 25. cap. 8. ut ferè semper facit. SE. Ad lepidion redeũtes quomodo à Dioscor. pingitur? BR. Dioscorides lepidion non pingit, sed notã herbam esse dicit. SE. Mihi uerò ignotißima est. BR. Non erit semper ignota, nam à Paulo & Plinio describitur. SE. Nos Paulum legimus septimo lib. tamen nec ipse describit. BR. Id incidenter facit 3. libro, cap. 27. cum de coxendicis affectibus & curationibus loquitur. nec differentiã facere uidetur, nisi quo ad nomen inter hiberidem, lepidion, & agriocardamõ: neque Galenus differentiã facere uidetur inter lepidion & hiberidem, nisi uelint hiberim etiã esse nomẽ lepidij: tamen hiberim Dioscoridis esse aliam herbam, de qua nullã mentionẽ fecerit Galenus, Paulus & Aëtius. SE. Intueamur igitur lepidij effigiẽ. BR. De lepidio ita differit Paulus, Quæ uerò apud nos nascitur fruticosa est, folia lauri cõparia, & multo maiora poßidens. hæc Paulus. Plinius uero lib. decimonono, cap. 8. prope finem, inquit, exire in cubitalem altitudinem, folijs laurinis, sed mollibus. ut accipere poßis Paulum dicere maioribus, Pliniũ mollibus: utrunq; uerum est. propterea si coniungantur, dici poterit maioribus & mollibus:

tamen non ſunt adeò mollia dum ueteraſcunt. SE. Non=dum herbam ipſam uiſu noui. BRAS. En harum Reli=gioſarum clauſtra ingrediar, & ad te afferam: nam ipſæ ex hac herba optimos intinctus parare ſolent. SE. Poſ=ſum'ne ego ingredi? BRA. Non licet. SE. Si tu qui ui=gens ætate es, ingrederis, cur ego qui ſenio iam cõfectus ſum ingredi non poſſum? BRAS. Aetas ipſa hæc clau=ſtra ingredi non facit, ſed ars ipſa & neceßitas. SE. Ci=to expedias. BRAS. Nónne citius quàm putaſſes ad te redij? en hoc eſt antiquorũ lepidion. SE. Ego putabam eſſe piperitim, & illam quæ à Plinio ſiliquaſtrum uoca=tur. BRA. Ita à multis putatur, & ego aliquando aliàs hanc ſententiam ſequutus ſum. nunc uel meliore, uel peio re animi ductu ſententiam mutaui, & hanc eſſe puto lepi dion: en cubitalem altitudinem habet, & paulo maiorem in iſta, in hac minorem: folia ſunt in modum lauri, hæc la tiora, hæc minus lata, hæc æqualia. uide mollitiem in his folijs iunioribus, in his antiquioribus non eſt tãta. SEN. Cur hæc folia ſunt laurinis folijs minora? BRA. Non=dum ſunt adulta, ſed in adoleſcentia adhuc creſcunt: cum ad ſummũ creuerint, erũt laurinis folijs maiora. Hi etiã qui uolunt raphanum uulgo uocatum eſſe lepidion, dicũt cum è terra exit, folia lauro ſimulia mittere, poſtea creſce re. At mẽtiũtur: nam & cum raphanus è terra erũpit, fo lia habet lauro dißimilia, imò rumicem ſemper repræſen tant, & folia exeunt ab radice, nec creſcit in cubitalem altitudinem ſcapus aliquis. Vnde inferre uolumus uoca=tam à nobis piperitim, uel peuerellã, eſſe antiquorum le=pidion. & nunc hæ religioſæ iuxta terram præcidêre,

Piperitis. Siliquaſtrum. Peuerella.

poſtea

postea iterum crescet, & futuro anno flores & semina pariet. SE. Quid ergo erit uera piperitis, & siliquastrũ, si ea non sit quam in præsentiarũ ostẽdis, & quæ uulgò à sapore quẽ habet, peuerella dicitur? BRA. De hac herba anceps sum, cœpiq; nunc primum suspicari, an hæc herba quæ paßim Ferrariæ in fictilibus supra fenestras uiret, Hispanum piper nominata, sit Plinij & antiquorum piperitis, quæ siliquastrum dicta sit, quoniam semina in oblongas siliquas & rotundas contineat: nam lauri folia habet paulo maiora, molliorаq; (etsi solatrum etiam imitari uideantur) caulem habet rubrum cum ueterascit, & longum: prius uerò quàm ueterascat, uiride est. densos habet geniculos, & semen albũ, tenue, gustu piperis, imò piper excellere uidetur: si etiã experiri tentes, ad eadem ualere cõperies ad quæ piperitis. Sed unũ esset admiratione dignũ, apud authores nullam de folliculo illo in quo semina cõduntur, mentionẽ esse factã: fortè authores de folliculo illo aut siliqua mentionem non faciunt, quia ab eo nomen acquisiuit, scilicet siliquastrum: unde hoc omittunt, uelut ex ipso nomine manifestum, cum in reliquis cõueniant. Hæc uerò per suspicionem dicta sint, & potius ad rem herbariam ampliandã, quàm ut id ceruicosè sentire uelimus: nam in Simpliciũ Examine hydropiper esse suspicabamur, & uocatam persicariam esse Plinij siliquastrum & piperitim. Vel dicamus Plinium idem intelligere per lepidion, siliquastrũ, & piperitim: tamen in diuersis locis hæc posuit, ueluti ea quæ diuersis nominibus appellarentur, re uerò diuersa non essent: ut etiam de dasypode facit, atq; lepore: cõstat enim non esse

Piper Hispanum.

Dasypus. Lepus.

aliud dasypodem à lepore. quamuis apud Aristotelem inter dasypodem & leporem differentia poni uideatur, & Theodorus uir egregius dasypodẽ cuniculum interpretetur. SE. Cum superius de hiberide mentionem feceris, abs te scire optarem, quænam herba sit, & unde dicatur hiberis. BRA. Marcellus unde dicatur nescire arbitratus est. uidetur ab Iberia in qua potissimùm crescit, nomen sortita esse. quòd si sit, absq; aspiratione proferri debet. Iberis, hæc est illa herba, de qua tuus Auicenna simul cum lepidio confundens dicit nasci prope antiquos parietes, ubi non mingitur, & habere nasturtij foliũ ac saporem. Et Dioscorides dicit habere folia nasturtij, & uerè esse pulchriorem, & nasci locis incultis, habereq; æstate florẽ lacteũ, id est album, binis radicib. nasturtio similibus. Plinius uerò lib. 25. cap. 8. inquit nasci maximè circa uetera monumenta, parietinasq;, & inculta itinerum. Floret semper, folio nasturtij, caule cubitali, semine tam paruo ut uix aspici possit, radici odor nasturtij. SE. Ego hanc picturam considero, sed quænam herba sit concipere nescio. BRA. Quid etiam in hac herba suspicer, aperire non negabo. Noscis'ne herbã illam, quæ uulgò uincitoxicum à Ferrariẽsibus dicitur? SE. En hìc est prope hunc antiquũ parietem Religiosarum diui Augustini. BRA. Illa equidẽ est, quæ si folia incisa in morẽ nasturtij haberet, ab hac sententia nõ dimouerer, quin hanc hiberidem esse putarem: nam in reliquis ita hiberis est ut nullus uel cæcus nõ uideat. SE. Cum herba ipsa in promptu sit, notas omnes tum Dioscoridis, tum Plinij cõsideremus. BRA. Vt lubet. SE. Semper floret, inquiunt, de

Iberis. Vincitoxicũ.

sua

sua hiberide loquentes prædicti authores. BRA. *Et hæc uincitoxicum dicta semper floret. en ab hac parte semina decidere, hîc florere incipit, & hîc sunt calyces qui desinent in flores, inter quos alij citius, alij tardius florebũt: imò & hyeme non extinguitur, licet frigoris inclemẽtia decidant folia. uere est pulchra planta, & sua folia sunt* εὐθαλέστερα, *idest pulchriora quàm cardami folia: nam plenius uirent, & maiorẽ quandam lætitiam præ se ferunt. nascitur incultis locis prope antiquos parietes, & sepulchra, & inculta itinerum: unam radicem habet, & quandoq; duas.* Dioscorides *duas habere censet, ut plurimũ uerò unam habet: caulis inest illi cubitalis, & semẽ adeò paruũ ut uix cõspici poßit, radixq; nasturtij odorẽ habet. propterea nisi esset foliũ quod non est simile nasturtio, statim hiberim esse dicerẽ.* SE. *Mirum uidetur unum indiciũ posse tot alia corrumpere.* BRA. *Potest quidem cùm indicium ex re ipsa fuerit, quale hoc ex extrinseca figura: uerùm quid prohibet dicere, habere folia similia nasturtio, non his similia, quæ prope radicem sunt, et infimis, sed superioribus quæ nõ sunt incisa.* SE. *Hiberis igitur erit nostrũ uincitoxicum.* BRA. *Hoc non assero, sed subdubito, ut alios ad hanc rem cõsiderandam incitem atq; prouocem: nam & pulchrum est alios in certamen uocare, & ad res naturæ speculandas inuitare, etiam si is qui inuitat, nihil probi aut boni dixerit, modò id uerisimile sit, & aliquam habeat apparentiã quod dixit. nam exinde lector sedulus iter apertum uidens multa alia inuenire potest.* Aliam herbã hîc Ferrariæ *habemus, quæ & in antiquis parietib. & circa antiqua sepulchra*

nascitur, ac solitaria loca, quæ ut nasturtiũ, incisuras habet, & eius radix mansa adurit. SE. Quo nomine uulgò dicitur? BRA. An uulgus aliquo nomine eam uocet, ignoro: sed en hæc est herba. SE. Huius herbæ Ferrariæ copia habetur: plerunq; illam uidi inter diui Francisci ruinas, post magnum huius templi altare. BRA. Et ego illam uidi Romæ inter maiores diui Petri ruinas. SE. Si radix linguã mordicet, illam esse putarim quæ à Dioscoride hiberis uocatur. BRA. Gusta. SEN. Imò & folia quodammodo mordicant: uerum in hac una solùm est radix, non duæ, ut hiberis habere debet. BRA. Et si Dioscorides hiberi binas radices attribuat nasturtio similes: tamen nasturtiũ unam habet radicẽ, quamuis nonnũquam in duas fibras dissecta sit. Ego in hanc magis inclinor, quòd hiberis sit, quàm in uincitoxicum, propter foliorũ incisuras quæ huic herbæ insunt, & uincitoxico non insunt. SE. Neque mordicat uincitoxicũ. BRA. Imò mordicat, non interim dum mãditur, sed posteaquàm mãsum est. Ad rem uerò longius intermissam redeũtes colligendum est, in hac pilularũ cõpositione pro sceitaragi Arabes lepidion intelligere: lepidion uerò illa herba esse uidetur, quam nostri peuerellam nuncupant. Verùm hanc compositionem à principio considerans concipere nescio quid in ipsa faciat uel facere poßit lepidion, quod potius humano corpori exterius applicatũ apud authores inuenitur, nec potẽtiã habet reprimẽdi uim fortiũ medicamẽtorum: tamẽ sceitaragi ad hanc uim reprimendã huc ingreditur. Rursus igitur cõpositionem cõsiderans, cùm à Mesue dicatur, sceitaragi indi, suspicari cœpi id in præ-

sentiarum

ſentiarum debere intelligi, quod Auicenna dicit eſſe fruſta ligni ſubtilia, & cortices ſicuti caryophylli. arbitramurq́; hæc tenuia ligna eſſe Galeni carpeſium: nam, ut ipſe docet lib. primo de Antidotis, Carpeſiũ eſt tenues feſtucæ, ramuſculi cinnamomi ſimiles: quæ ſunt ſimiles ſecundũ genus uocato phu: & eius guſtũ habet. & Quintus pro cinnamomo carpeſiũ ſumebat, ut Galenus teſtatur: nam ab optima caſia uirib. nõ diſsidet. Arbitramur in hac cõpoſitione ſceitaragi indi eſſe carpeſiũ, cuius uis eſt fortia medicamẽta tẽperare, & nõ lepidij: & niſi addita eſſet illa particula indi, lectionẽ corruptã eſſe putarem. & ubi legitur ſceitaragi, legendũ eſſe ſitarag, id eſt fumi terræ: quoniã in hac cõpoſitione non adſunt niſi indi myrobalani, qui atræ bili aduerſentur & aduſtos humores expurgẽt. SE. *Deinceps in hac cõpoſitione fumariam herbã recipiã.* BRA. *Illam recipiendã ſuaderem, poſteaquàm carpeſiũ abeſſe certũ ſit.* SE. *Aliud etiã non mediocrẽ ſcrupũ in hac cõpoſitione cõmouit.* BR. *Quid hoc eſt?* SE. *Harmel. Nam multi pharmacopolæ pro harmel cicutæ ſemina accipiũt.* BRA. *O uiri nefandi & execrabiles: uenenũ præſentiſsimũ recipiũt, pro re quæ potius medicamẽta frenare deberet.* SE. *Quid ergo ſumendum eſt?* BRA. *Nomina corrupta ſunt: & ubi legitur harmel, uel abſq́; aſpiratione armel, legi debet armal, cũ a, & non cum e, in ultima ſyllaba. eſt uerò harmal rutæ genus ſylueſtre, ita à Syris nuncupatũ: quamuis Dioſcorides dicat rutã montanã à Syris nominari harmalam. ſed ubi loquitur de tertio rutæ genere, quod uocat rutam Galaticam, dicit ab aliquibus uocari harmalam, & Syri*

Carpeſium. Harmel. Armel. Armal. Harmal. Harmala.

Besasa. nuncupãt Besasa. & hæc propriè illa est, de qua Arabes scripsere. SE. Quomodo hoc nosti? BRA. Ex ipsismet authoribus: nam Serapionis uerba contemplatus cap. 285. ubi de harmel agit, eadẽ sunt cũ his Dioscoridis in hoc tertio genere rutæ. Dicit enim Serapio secundũ Dioscoridẽ, Harmel nominatur moly: & nominãt eam multi rutam syluestrẽ, & est planta quæ egreditur ab una radice cum multis ramulis, & habet folia longiora folijs rutæ alterius, et molliora, habẽtia grauẽ odorẽ, & habet florẽ albũ, & capitella maiora satis quàm capitella rutæ domesticæ, diuisa tribus diuisionibus, in quibus est semẽ, cuius color est ad rubedinẽ decliuis, habens tres angulos. amarum est id quod de ipsa planta uenit in usum medicinæ, & ipsum maturatur, & colligitur in autumno. Audias modo Dioscoridẽ de Galatica ruta per hæc uerba disserentem: Quidam nomine syluestris rutæ, & eam quæ in Cappadocia nascitur & Galatia, nuncupatã moly intelligunt. frutex est ab radice una cõplures uirgas fundens folijs multo longioribus, & tenuiorib. quàm rutæ, graui odore. flos cãdidus: in cacumine capitella paulo ampliora quàm satiuæ diuisa tripliciter parte plurima, in quibus semen triquetrũ, subruffum, & amarißimũ sapore, cuius in medicina est usus. autũno maturescit semen. Hinc igitur manifestè apparet tertiũ rutæ genus apud Dioscoridẽ, quod ipse uocat secundũ aliquos harmala, à Serapione nũcupari harmel. quòd autẽ ita sit, magis cõfirmari potest ex his quæ de remedijs secundũ Dioscoridem adducit Serapio. sequitur enim: quando conficitur cum melle & uino, & felle galli, & croco, & succo fœniculi, con

Moly.

li, confert debilitati uisus. species ista rutæ uocatur à quibusdã moly, & in Syria nominatur uasach, et ortus eius est ut plurimũ in terra pingui, bona, et culta, & humidis locis. hæc Serapio. In quibus uerbis sunt aliqua corrupta nomina: in reliquis idẽ præcise dicit quod Dioscorides, cùm, inquit, cõuenit quibus hebetes oculi, subigendũ cum melle, uino, felle gallinacei, succo fœniculi, atq; croci. hoc genus herbæ aliqui harmala uocauere, Syri besasa: quod Serapio corrupte dicit uasach, Cappadoces moly, quandoquidẽ à uero moly omnino nõ discrepat facies, radice uidelicet pulla & flore albo (hoc à Serapione positũ non est) colles amat, & pinguia. Idẽ præterea suaderi potest per illa quæ Serapio ex Galeno adducit: nam Galenũ referens inquit, uirtus eius primo est calida in tertio gradu, secũda incidit, & tertia incidit humores grossos, & expellit eos per urinam. Galenus uerò ubi agit de moly in septimo De simpliciũ medicamentorum facultatibus lib. inquit: uis eius tenuiũ est partium, & calida in tertio ordine: unde & crassos humores desiccat, ac digerit, & urinã mouet. scitoq; apud Galenum non esse aliud moly, quàm istud, quamuis Dioscorides aliud quoddam moly describat. Galenus de hac harmala duobus in locis mentionẽ facit in libro de Compositione medicamentorũ secundum locos. primo, in libro 8. in stomachica illitione ex besasa, id est semine rutæ syluestris secundũ Andromachũ. secũdo, in libro 9. in secũdo pharmaco ab Asclepiade cõscripto in hydrope: dicitq; Syros uernacula lingua uocare harmala rutã syluestrem. SE. Hæc omnia uerba sunt, & nugamẽta. ostende mihi rutam hanc uocatam

harmala, & harmel à Serapione, & quam Auicēna non describit, sed dicit esse notam, cùm tamen mihi ignotißima sit. BRA. Non possum hanc rutam in præsentiarum tibi ostendere: uiret tamen in Apēnino prope Mutinam, & Regium Lepidi. SE. A me igitur uel ab his qui hanc compositionē parant quid agendum? BRA. Rutæ syluestris semina accipienda sunt, & non hortensis: & si hæc desint, satiuæ rutæ semina recipienda, quæ parum differunt à syluestris rutæ seminibus. SE. In hac tota cōpositione nihil aliud uideo quod ambiguitatē facere poßit. BRA. Vt igitur receptui canamus, pro aggregatiuis pilulis illas Mesue semper parandas uoluerim, quas dicit esse ex inuentione sua, & iuberem ut electuarium rosatum Mesue acciperent, cuius magna quantitas compositionem ingreditur. SE. Quāta ingredi potest? BRA. Si succi sint aridi, quales uos seruare soletis, quatuor ferè unciæ huius electuarij ingrediuntur. Si uerò succi sint recentes, ut semper optarim, duæ unciæ satis sunt: & id electuarium ex gallia quæ moschata dicitur, confectum sit, & quam Mesue & non Nicolaus parare docuit.

SENEX.

Pilulæ de Serapino.

AB re fortè non erit, pilulas de Serapino in concionem uocare. BRAS. Multas legi & uarias apud diuersos authores compositiones, quæ de Serapino pilulæ nomen sortiebātur, & quæ longè differunt: uariosq; inueni pharmacopolas nō solùm diuersarū Italiæ urbiū, sed unius Ferrariæ: nam aliqui primam Mesue compositionem de serapino ad usum seruant, alij secundam. Tu quam seruas? SEN. Secundam apud Mesuem. BRAS.

Huc

Huc illam afferas. SE. *Hæc est quam dicit ad iuncturarum dolorem ualere, atque ischiam, & podagram, & dolori matricis conferre, ac menstrua proritare.*

℞	*Serapini*	
	Hammoniaci	
	Opopanacis	añ. ℥.ij.s.
	Bdellij	
	Seminis apij	
	Ameos	
	Harmel	añ. ℥. I.
	Anisorum	
	Acori	
	Sceitaragi indi	
	Calamenti	
	Folij	añ. ℥. s.
	Centaureæ	
	Polij	
	Costi	
	Salis gemmæ	
	Aloes	℥. VI.
	Colocynthidis	℥. V.

Fiant pilulæ, & administrentur. BRAS. *Nisi superius de sceitaragi & harmel disputauissemus, nunc idem facere necessarium esset. Tu hanc secundam cōpositionem facis, sed multi primam potius approbant, & conficiūt.* SE. *A te peterem, quænam sit magis conueniens.* BRAS. *Hanc secundam probare non desinam, quæ magis correcta est & moderata, quàm prima, nec est adeò uehemens. sed ex quo liquore eam conficis?* SE. *Ex melle rosaceo.*

BRAS. Nec istud contemnere ausim, quoniam hæc compositio diuturnior redditur: scitoq; ratione colocynthidis crassas materias à longinquis educi, & bilem crassam, ac pituitam. Aloe uero à propinquis partibus ducit: ratione colocynthidis iuncturarũ doloribus prodest, & podagræ, præsertim cum à crassis materijs contingunt. Reliqua cùm aperientia sint, dolori matricis occurrunt, & menstrua prouocant: quod etiam aloe facit uenarum ora adaperiens. SE. Morem meum igitur sequar, hanc secundam Mesue compositionem parans. BR. Eum impune sequaris. Verum ne quicquã prætermittamus quod in materiarum considerationem non uenerit, hæc est prima Mesue compositio.

℞ Serapini
Hammoniaci
Bdellij
Opopanacis
Aloes
Castorei
Harmel } añ. ℥. ij.
Colocynthidis ℥. iij.

Fiant pilulæ cum aqua porri. per hanc uerò aquam intellige succum, nam ex eo facilius penetrant, quamuis in hac compositione mihi displiceat hic succus: propterea & mel rosatum potius acciperem, uel marrubij succum. nam ueteres sæpius confundunt πράσιον & πράσον, id est marrubium, & porrum. SE. Eandem ferè intentionem cum prædictis habere uidentur. BRAS. Et eandem habent. nam materias crassas, glutinosas, & frigidas educunt:

cunt: unde à Mesue hic dicitur ualere ad paralysim, & mollificationem, & spasmum, & dolorem iuncturarũ, dorsi, & podagram frigidam, & soluunt phlegma uiscosum, & una drachma satis est. SE. Quid intelligis per hammoniacum in hoc loco? BRA. Ego intelligendum puto hãmoniacum thymiama, non sal hãmoniacum: nam thymiama hammoniacũ colocynthim mitigare potest, & corrigere. SE. Prius à te dictũ est authores alios à Mesue pilulas de Serapino descripsisse, quæ à prædictis diuersæ sunt. BR. Diuersæ quidẽ sunt, quo ad põdera & aliqua simplicia, sed in intentione conueniũt: nam Auic. talem compositionẽ parãdam instituit, quæ genuũ doloribus conuenit, coxendicum & laterum, inquiens,

℞ Seminis apij, Harmel — añ. ʒ. I.
Serapini, Bdellij — añ. ʒ. ij.
Hieræ — ʒ. ij.
Pulpæ colocynthidis, Agarici — añ. ʒ. I.
Turbith. — ʒ. VI.

Fiant pilulæ. dosis ʒ. ij. cum aqua tepida: tamen nos dicimus satis superq́; esse ʒ. I. Serapio compositionẽ aliam facit de serapino, qua in hydrope utitur. SE. Quæ nam est Serapionis compositio? BRA. Hæc quæ sequitur.

℞ Aloes, Epithymi — añ. ʒ. iiij.
Agarici — ʒ. ij.
Serapini — ʒ. VI.

Teran

Terantur & cribellentur, & fiant pilulæ. potio ʒ.i. Puto legendum esse portio. uel si legas potio, intellige hanc compositionē priusquàm sit redacta in pilulas. Imò idem Serapio compositionem habet ad eandem intentionem ad quam tendit secunda Mesue, *& quæ recipit similia simplicia, sed differt in pondere: dicitq; ualere ad dolorem aliarū partiū dorsi, & ad dolorē matricis, & soluere naturam, & prouocare menses.* SE. *Hanc compositionem referre ne pigeat.* BRA. Non *solum non piget, sed etiam libet.*

℞ *Seminis apij*
Ameos
Anisorum
Harmel } *añ.* ʒ. i.
Bdellij
Serapini
Hammoniaci
Opopanacis } *añ.* ʒ. ij.
Sceitaragi
Acori *Polij*
Calamēti fluuiatilis
Centaureæ *Costi*
Salis gemmæ } *añ.* ʒ. [illegible].
Aloës ʒ. v.
Colocynthidis ʒ. iij. s.

Terantur, & fiant pilulæ, & dentur. SE. *Omnino eandem habent intentionem cum his quas paro, & est eadem ferè compositio cum secunda* Mesue. BRA. *Quomodo autem gummi genera in hac compositione disponis?* SE.

Idem

Idem facio quod in omnibus alijs pilulis obseruandum censuisti. Gummi in liquorem illum ex quo pilulæ conficiuntur, dissoluo, uel sit porri succus, uel quicquid aliud, postea conformo: & si succus aliquis uel liquor non recipiatur, arida gummi in puluerem redigo, mollia uerò in electuarium ex quo pilulæ conglutinantur, dissoluo, uel in mel rosaceum. BRA. Rectè gummi genera dispo nis. SE. Ex more igitur pilulas de Serapino conficiam, quæ à Mesue secundo loco descriptæ sunt. BRA. Non errabis.

SENEX.

NEscio quomodo bechichiæ pilulæ huc accesserint. BRA. Non accessere, sed tu illas cõportasti. quis author illas confecit? SEN. A Mesue in capite De tussi sicca describuntur. BRA. Quæ simplicia recipiunt? SE. Hæc quæ statim adducemus. Pilulæ bechichiæ.

℞ Succi liquiritiæ }
Sacchari boni } añ. ʒ. x.
Amyli }
Dragaganti } añ. VI.
Amygd. dulcium }

Confice cum muccagine psyllij, uel cydoniorum. BRA. Quomodo insumuntur? SE. Efficitur pilula una ad lupini uel fabæ quantitatem, & sub lingua tenetur. BR. Igitur non sunt catapotia. SE. Quid ais? BRA. ἀπὸ τοῦ καταπίνειν, id est à deuorando & transglutiendo dicuntur catapotia. At hæc non transglutiuntur: propterea catapotia non sunt. Verùm à forma quam habent, pilulæ nuncupari possunt: quanquam res erat nullius momenti,

si

si has pilulas pastillos nuncupasses: imò non ab re fuisset, si potius inter pastillos, quàm inter pilulas numerasses. Cùm uerò in hunc ordinem uenerint, & ipsa poma natent, accipianturq́; ac si sint pilulæ, tamen non erunt catapotia, quia pilulæ uocabulum est amplius, quàm catapotium in hoc significato. nam & hæ sunt pilulæ à sua forma, quæ continentur in ore, & non sunt catapotia. hanc eandem compositionem habet Rhasis, *ubi agit de tußi, ad Almansorem.* SEN. *Vnde dicuntur bechichiæ?*

Βηχικὸν medicamentum. BRA. *Apud antiquos multa bechica inueniuntur, id est contra tußim medicamenta: nam Græci tußim* βῆχα *nuncupant, &* βηχικὸν *contra tußim medicamentum.* A *Tralliano lib. secundo, cap. 4. multa bechica, id est tußi accommodata referuntur, hoc est contra tußim medicamenta.* SE. *Hoc quod à Mesue descriptum est, habet'ne cum illis affinitatem?* BRAS. *In aliquibus simplicibus conueniunt, in tota autem compositione distincta sunt.* SE. *Vnam aut alteram antiquorum compositionem referas ex his quæ bechicæ nuncupantur.* BRAS. *Hæc est una Tralliani compositio.*

℞ *Styracis*
Croci
Galbani
Lachrymæ papaueris } *an̄. denarij pondo unius.*
Nucleorum pineorum denariûm pondo iiij.

Conformato pilulas quantitatem Aegyptiacæ fabæ æquantes, quarum unam in nocte ægrotanti præbeto. SE. *Magna quantitas uidetur si Aegyptiacam fabam æquet.* BRA. *Imò posset triplum & quadruplum illius quantitatis*

titatis exhiberi. En alia cõpositio ualde efficax, & quæ etiam tenui fluori succurrit, & quæ una uice sumpta restituit sanitati ægrotantes.

℞ Myrrhæ troglodyticæ denariûm pondo VI.
Thuris denariûm pondo quinque
Lachrymæ papaueris
Corticis radicis hyoscyami
Corticis radicis cynoglossæ } denariûm põdo iiij.

Cortices in sole exiccati in puluerem redigantur, & per cribrum traijciantur, postea cum alijs confundantur: papaueris uerò lachrymam aqua diluito, deinde pastillos conformato pondere singulos denarij unius. SE. Nihil habent cum bechicis nostris à Mesue confectis. BRA. Tamen sunt bechica, id est ad tusses ualentia medicamẽta. De his uerò quæ sub lingua continentur, quæ ὑπογλωσσα medicamenta Galenus uocat, mentionem facit in septimo lib. de Compositione medicamentorum secũdum locos: postquam locutus est de usu confectionis ex papaueris capitibus, hypoglossa describit, id est ea quæ poni debent sub lingua, ex Charixeno medico, Dioscoride, & Scribonio Largo. SE. Vnum ex his hypoglossis audire uehementer opto. BRA. Vnum ex Scribonio Largo referam, quod facit ad uocem interceptam.

℞ Glycyrrhizæ ʒ. viij.
Myrrhæ ʒ. xx.
Terebinthinæ ʒ. xxxij.
Tragacanthæ ʒ. xxxviij.

Arida singula per se contundito ac cribrato, resinam autem in pilam coniectam tundito, arida ad ipsam inspargendo:

gendo: deinde ex unitis omnibus pastillos formato, fabæ Aegyptiacæ magnitudine, quos in umbra ſiccato, atque uſus tempore unum aut duos ſub lingua tenendos dato, ac liqueſcentes deuorandos. Quo tempore igitur paſtillos cogis, eodem etiam tundes: reſiccantur enim citò, & ob id paſtillos ex eo formantem, ad manum ſimul tũdere oportet. SE. Cùm ergo liqueſcunt, tranſglutiendi ſunt? BRA. Imò paulatim tranſglutiendi, ſicuti & paulatim liqueſcunt. Sunt multa alia bechica à Paulo, Aëtio, Scribonio, & alijs antiquioribus ac probis authoribus deſcripta, quæ huc afferre non licet, ne ſupra modũ ex compoſitionibus quæ in uſu non ſunt, ſermo noſter percreſcat. Imò & apud Arabes infinita ferè bechica medicamenta ſcripta inueniuntur, ut apud Serapionem, Auicennam, Rhaſim. Interim omitto recentes medicos, ne de una compoſitione agentes, omnes alias eiuſdem generis in medium reuocare uideamur. SEN. In hac igitur compoſitione Meſuen ſequar. BR. Sequaris quoad antiquorum bechica in uſum uenerint. ſperamus etenim omnes antiquorum compoſitiones, uel maiorem partem in communem uſum reuocare: quanquam ſemper adſint inuidi, qui benefactis, ſua maledicentia ſuaq; maleficentia aduerſari conentur.

SENEX.

Pilulę fœtidę. CVm hæc ſatis ſint, quæ de bechica compoſitione numerare ſtuduiſti, fœtidas pilulas huc adducã, ut recto examine perpenſæ abeant. BRA. Non minus hæ pilulæ medicorum ignauiam & oſcitantem negligentiam oſtendunt, quàm prædictæ. SE. Cur hoc? BRA. Quoniam

niam rari ſunt pharmacopolæ qui cōpoſitionem ab alijs diuerſam non ſeruent. Nonnulli etenim maiores fœtidas parant, quidam minores: alij cōpoſitionem quandam ex Rhaſi in 9. ad Almanſorem acceptam ſeruant. Tu uerò quam cōpoſitionem ſequeris? SE. Illam maiorum. BRA. Ab hac exordium incipiamus, & prima omnium ſub iudicium ueniat. quibus conſtat? SEN. His omnibus.

℞ Serapini
Hammoniaci
Opopanacis
Bdellij
Colocynthidis
Harmel
Aloës
Epithymi } ana ʒ v.
Hermodactylorum
Alſcebran } ana ʒ ij.
Scammonij ʒ iij.
Cinnamomi
Spicæ
Croci
Caſtorei } ana ʒ I.
Turbith ʒ iiij.
Gingiberis ʒ I. S.
Euphorbij tertiæ unius partes duæ.

Diſſoluantur gummi in aqua porri, & fiant pilulæ. da ʒ. ij. BRA. Vna drachma ſatis eſt, & in imbecillioribus fortè nimis. hanc compoſitionem conſiderans omnes humores educit, & tenues, & craſſos, & à partibus pro=

pinquis, & à remotis. SEN. A Mesue uerò scriptũ est, ex hac humores crassos expelli, & doloribus iunctura= rum cõferre, & podagræ, & dorsi, & genuũ: & omnẽ dolorem ex crudo humore auferre, & dolorẽ stomachi, & colicæ: & à leuce liberat, morphea atq; lepra. BRA. Duo animaduersione digna sunt: unum est, ualere potissi mùm in his morbis cum inclinant, ut in podagra, chira= gra & articulari morbo, & ratione aloës biliosos hu= mores etiam educit. Ratione scammonij biliosissimos, & tenues: unde omnes humores educuntur, si cõpositio re= ctè consideretur, & tam à remotis, quàm à propinquis partibus. SE. Quid intelligis in hoc loco per Alscebram? BRA. Tu uerò quid eius loco hactenus accepisti? SEN. Esulam: et nisi quid melius inuenerim, esula semper utar. BRA. Consideremus in præsentiarũ quid sit apud Ara= bes Alscebram, uel Scebram: nam illa particula al, articu lus est, quem suis nominibus Arabes præponunt, ut fa= ciunt Hebræi, qui à Græcis & nostra uulgari lingua eo differunt, quòd eorum articulus in nominis cõpositionem transit: apud Græcos autem & in nostra uulgari lingua est distinctus à nomine. Hæc igitur herba, de qua in præ= sentiarũ agemus, nuncupatur scebra: addita al, particu= la, idem est ac si diceremus alscebram. SE. Hæc ad rem nihil facere uidentur. Consideremus potius quid sit hæc planta apud antiquos. BRA. Consideremus: sed non erit facile hoc intelligere, quoniam & Arabes de ea inter se dissident, nec cum Græcis conuenire uidentur, nec Ara= bum descriptiones satis conueniunt. Quid igitur sit al= scebram apud Arabes considerare uolentes à Mesue in= cipiamus,

Alscebram. Scebram.

cipiamus, secundum cuius uerba non est facilè diuinare quid sit: nam de eius figura nihil penitus loquitur, solùm uerò dicit esse speciem lacticiniorũ, & esse solutiuum rusticorum. postea distinguit, ex quibus nihil certi habetur quid sit, nisi confuse. Auicenna describit quidem, sed adeò inepta descriptione, ut etiã difficile sit apud ipsum eius formam intueri: nam inquit, oritur in hortis habens cannam subtilem, æqualem, & habet pilos, & folia sunt sicut Tarcon, secundum quod existimo, & habet lac. Si uerò petas quid sit Tarcon, in pagina sequente Auicẽna docet, inquiens quòd pyrethrũ est eius radix. pyrethrum uerò habet folia dauci agrestis, uel marathri. Serapio describit quidem scebram, & talem figuram illi fingit qualem Dioscorides suæ pityusæ. Verùm cùm de hac re in Simpliciũ Examine hubertim differuerimus, satis est te ad illum librum remittere. SE. Memoria habeo: sed res est satis confusa. BRAS. Confusissima, quoniam & ipsi authores confusi sunt. Ad rem uerò redeuntes, sunt alij pharmacopolæ qui fœtidas minores seruant. SEN. Nescio unde hoc acceperint: nam hoc solum nomen maius, eos incitare deberet ad has conficiendas & formandas: nam quod maius est, respectu minoris excellentiam quandam habere uidetur. BRAS. Imò minores uidentur uehemẽtiores maioribus, & eandem habẽt intentionem. Earum cõpositio hæc est quæ sequitur, in qua sunt paucissima quæ uim fortiũ medicamentorũ frenare possint.

℞ Serapini
Hammoniaci
Opopanacis } ana ℥ v.

	Bdellij	
	Myrrhæ	
	Turbith	ℨ x.
	Colocynthidis	ℨ vi.

Fiant pilulæ ſicuti priores. & da ℨ. ij. tamen non debemus excedere ℨ. i. Imò ſolùm ſcrupuli duo recipiendi ſunt. in his materiæ craſſæ ſolùm educuntur à remotis partibus. Vnde etſi à Meſue dicatur has eſſe in intentione maiorum, id ſimpliciter uerum non eſt: quoniam maiores tenues etiam humores educunt, quas hæ non educunt: ſed intelligendus eſt in intentione maiorum, quantũ ſit de illa intentione quam ipſe retulerat. nempe nihil dixit de humoribus tenuibus, quos tamen euacuat. SE. Quænam compoſitio magis probanda eſt? BRA. Illa maiorum, quæ magis correcta eſt compoſitione minorum: tamen præciſa Meſue intentio, quæ eſt humores craſſos educere, in his minoribus exquiſitius habetur, cum ſoli craſſi educantur, & non tenues. Extant præterea nõnulli pharmacopolæ Ferrariæ, & non ex infimo genere, qui in eorum officinis compoſitionem quandam Rhaſis ſeruant in hono ad Almanſorem. SEN. Quænam eſt? BRAS. Hæc in curatione paralyſis poſita.

℞	Pulueris picræ	ℨ x.
	Colocynthidis	ℨ v.
	Euphorbij	ℨ ij. s.
	Caſtorei	
	Piperis	
	Aſſæ fœtidæ	
	Serapini	ana ℨ i.

Opopana

Opopanacis
Sceitaragi Indi
Sinapis
Centaureæ minoris
Elaterij } ana ʒ v.

Gummi in ſucco rutæ diſſoluãtur, & alia ſimul miſceantur, & fiant pilulæ. SE. De minoribus quamplures in ſuis officinis eas habere nõ ignorabamus: de his uerò ab Rhaſi editis ignotum erat an aliquis eas pararet. BRA. Imò, ut dixi, aliqui has ſeruant: & ne putes nos mentiri, ille qui Fontem habet pro inſigni, unus eſt qui parat. SE. O magna inter unius urbis pharmacopolas diuerſitas: quomodo faciunt ignari medici qui hæc ignorant? BRA. In his pilulis parum errare poſſunt: quia ad eandem intentionem accommodantur. SEN. Quæ compoſitio tibi magis arridet ex his tribus? BRA. Illa maiorum, quamuis (ut ingenuè fatear) nulla poßit ad unguem placere. Tamen ſi quam conficiendam iuberem, eſſet hæc maiorum compoſitio Meſue. SEN. Meum igitur morem & deinceps in his pilulis ſequar. BRAS. Vt lubet: nos tamen ſperamus pro noſtris ægris illas nunquam eſſe indicturos. Id uerò non te lateat, & Serapionem, & Auicennam, & Haly multas alias & diuerſas pilularum fœtidarum deſcriptiones in ſcriptis reliquiſſe: ſed tres ſolùm præſcriptæ in uſum uenêre. SEN. Vnde dictæ ſunt fœtidæ? BRA. Recentes dicunt ita nuncupari, quia fœtidos humores educũt, ac ſi aliæ odoros trahant, & non fœtidos. Potius dicuntur fœtidæ ex malo odore quem habent, & potißimum illæ Rhaſis, quas aſſa fœtida ingre-

ditur. uel quia fœtidis morbis occurrunt, quales sunt le-pra, scabies, morphea, impetigo, leuce, & alij similes.

SENEX.

Pilulæ de sarcocolla.

HAnc lituram uix legere potui: & nisi ultima pars nominis atramento detecta esset, pilulæ de sarcocolla tuũ examen effugissent. BR. Res erat nõ magni mometi. ex quo authore accipiuntur hæ pilulæ? SE. Ex Mesue in Antidotario, & in simplicib. ubi de sarcocolla agit: nam refert pilulas de sarcocolla Haly senioris, inquiens.

℞	Sarcocollæ	ʒ iij.
	Turbith	ʒ iiij.
	Interioris colocynthidis	ana ʒ I. S.
	Gingiberis	
	Salis gemmæ	ʒ I.

Sarcocollam in aqua rosacea dissolue, & confice & fac pilulas. educit hæc cõpositio pituitosas materias, & pituitosis morbis succurrit, à longinquis partibus educẽs. BRA. Mesue inquit, sarcocollam pituitam educere: nescimus tamen unde hoc inuenerit. nam Dioscorides & Galenus uolunt ipsam conglutinare, & exiccare citra mordicationem. Id equidem uerum est, has pilulas pituitam educere: sed id faciunt ratione turbith & colocynthidis, non ratione sarcocollæ. Putamus igitur sarcocollam uim reprimere fortium medicamentorũ, ut alia gummi genera facere solent, & non soluere: in hacq; compositione poni alia ad educendum pituitam, & non sarcocollam. & quamuis fuerit Haly senex huius compositionis inuentor, illum non laudamus, cùm nimis uehemens sit, & parum correcta: nam præter sarcocollam nihil aliud

aliud adeſt quod non roboret turbith & colocynthim: gingiber etenim & ſal gemmæ colocynthim & turbith acuunt magis, & uehementiora reddunt. SE. Igitur ſarcocolla non educit? BRA. Adſtringit potius: unde Græci omnes dicunt adſtringere, exiccare, & conglutinare: propterea inuenit nomen ſarcocolla quaſi σαρκὸς κόλλα, id eſt, colla & gluten carnis. Quomodo illam diſſoluis in aquam roſaceã? SE. Ego in primis in lac aſinæ diſſoluo per ſex dies, lac quotidie mutans, deniq; percolo, & diſſoluo in aquã roſaceam. BRA. Cur lac aſinæ accipis? SE. Quoniã ab ipſo Meſue in cap. de ſarcocolla dictum eſt. BRA. Meſuem nõ intelligis, qui dicit per quinq; dies lacte aſinæ nutriri, & tunc eſſe medicamentũ bonũ ægritudinibus oculorum, ſcilicet ponẽtes illam in oculum. tamen nõ dicit ita concinnandã eſſe cum has pilulas ingreditur: ſed immediatè diſſoluẽda eſt in aqua roſacea, & à ſordibus expurgãda, poſtea rebus alijs cõmiſcenda, & in pilulas cõformanda. ſcitoq; has pilulas multũ perdurare, & earũ uim citò non ſolui ob ſarcocollæ miſcellam.

SENEX.

HAs ſequuntur in hac ſcheda pilulæ de mezereon, quæ à Meſue dicuntur mirificè aquam educere in hydrope, & non ſolùm citrinam, ſed cuiuſcunque generis. his uerò conficiuntur. Pilulæ de Mezereon.

℞ Foliorum mezereon infuſorum in aceto, & exiccatorum ʒ v.
Myrobalanorum citrinorum ʒ iiij.
Chebulorum ʒ iij.

Confice cum tereniabin & tamarindis in aqua endiuiæ

dissolutis. BRA. De dosi nihil dicit Mesue? SE. Nihil penitus. BRA. In ascite drachmam excedere non debemus, & in his in quibus abundat aquositas per omnes uenas. SE. Putas'ne tu mezereon esse laureolam? BRA. De hoc hubertim egimus in nostro Simplicium Examine, ostendentes Arabes authores thymelæam, & chamelæam sub mezereon confudisse. Nunc memoria subijt, in nostro colloquio de his abundè dictum esse. Verùm cum hæc duo sub mezereon confundantur ab Arabibus, & Mesue Arabs fuerit, quodnam duorum intelligi debet, cùm hic dicat recipiendum mezereon? BRA. Ego thymelæam acciperem: nam à Dioscoride dicitur per aluum biles aqueas educere. Cùm uerò hæ pilulæ ad educendas aquas in hydrope conficiantur, & ut Mesue dicit, citrinas, thymelæa ad hoc ualet. nempe Dioscorides in chamelæa mentionem non facit quòd aquas educat: sed dicit solùm educere per aluum bilem, & pituitam. SE. Deinceps igitur thymelææ folia accipiam. BRA. Scito autem nisi hæc folia per diem & noctem macerarentur in aceto & in umbra exiccarentur, & nisi adderentur myrobalani, esset compositio uehementissima, cuius satis esset scrupulum accipere. De tereniabin uerò quòd hanc compositionem ingreditur, in nostro Simplicium Examine quid sit apud Arabes disputatum habes.

Mezereon.

Thymelæa.

SENEX.

Pilulæ de Eupatorio.

PRædictis iunctæ sunt pilulæ de eupatorio, quæ ad periodicas atq; antiquas febres cõferunt, ad iecoris dolorẽ, & ad obstructionẽ. BRA. Tu ergo maiores conficis? SE. Maiores inquam, & in hunc modum paro.

℞ Myro

℞ Myrobalanorum citrinorum		
Succi eupatorij		añ. ℥. iij.
Succi absinthij		
Raued sceni	℥. iij.s.	
Mastiches	℥. I.	
Croci	℥. s.	
Aloës bonæ	℥. v.	

Confice cum succo endiuiæ. dosis eius est ℥. ij. cum aqua casei. BR. Recẽtibus uisum est, hanc compositionẽ materias biliosas, tenues, educere: cùm tamen crassas etiã educat, & eas potius quàm tenues. Rari sunt medici qui his utantur. Ego his utor in autumno in longioribus febribus, & cõferunt, & etiã in obstructionibus lienis. Habet & Mesue minores de eupatorio, quæ in nullũ usum uenêre, præsertim nostro tẽpore. Illarũ cõpositio est hæc.

℞ Myrobalanorum citrinorum	
Raued sceni	
Succi eupatorij	añ. partes
Aloës	æquales.

Confice cum aqua apij. da ℥. ij. & in alio cum aqua endiuiæ. sunt minus uehemẽtes prædictis, eandem uerò intentionem habent cum maioribus. mirandumq; est cur harum minorum facta sit mentio, cum maiores eandem intentionem habeant, & perfectius illam assequi faciant. mirum igitur non est, si in usum non uenêre. Per raued sceni, rhabarbarum in his compositionibus semper intellige. SE. Id intelligo. BRA. Lector uerò admiratione non afficiatur, si in his compositionibus omnia simplicia exposita non sint, quoniam de his solùm mentionem faci=

mus, de quibus in Simplicium Examine nihil actum erat. Hæ pilulæ, & maiores diu perdurare nõ possunt, quoniam nihil glutinosi recipiunt: imò breui tempore lapidescunt, id est duræ ut lapis euadunt.

SENEX.

Pilulæ de hermodactylis.

Pilulæ de hermodactylis in examen descendũt. BR. *Ferrariæ apud diuersos pharmacopolas diuersæ fiunt de hermodactylis pilulæ. Nam nõnulli minores, alij compositionẽ quandã quæ à Rhasi describitur in 9. ad Almansorẽ, cõficiunt: maior tamen pars maiores parat. Nec desunt qui & maiores & minores seruẽt. neminẽ uidi unquã, qui pilulis de hermodactylis ex inuẽtione Mesue uteretur.* SE. *Maiores semper cõfeci, & seruaui, & cùm medici pilulas de hermodactylis indicũt, illas præbeo.* BRA. *Earũ compositionem referto.* SE. *Hæc est.*

℞ *Hermodactylorum*
Aloës
Myrobalanorum citrinorum
Turbith
Colocynthidis
Bdellij — an̄. ʒ. vi.

Serapini
Castorei
Sarcocollæ
Euphorbij
Opopanacis
Harmel — an̄. ʒ. iij.

Apij
Croci ʒ. I. s.

Confice

Confice cum ſucco caulium, & fac pilulas. Scito tamen gummi genera potius diſſoluenda eſſe in ſucco cauliũ, & expurgãda, reliqua deinde cõmiſcenda. dureſcunt miré: tamẽ uis ſimpliciũ medicamẽtoſa à gũmi generibus ſeruatur, & facilè diſſoluũtur, cum aquam perſentiunt. De doſi nihil dicit Meſue. Ego drachmã nunquã excederẽ. mirè cõferũt iuncturarũ doloribus, & podagræ frigidæ: nam humores craſſos à remotis corporis partib. ducũt: imò & tenues. De hermodactylis diſputatũ habes in noſtro Simpliciũ Examine. Cùm uerò hermodactylus mihi ſuſpectus ſit, quoniã pharmacopolæ ephemerõ colchicũ accipiũt: propterea harũ loco compoſitione quadã utor pilularum ab Alexand. Tralliano confectarum, quas de nitro nũcupamus, & etiã Alexãdri pilulas. in hac compoſitione nihil eſt quod expoſitione indigeat. Cùm uerò ſimpliciter humores craſſos, & frigidos educãt, compoſuere minores, quæ humores bilioſos, tenues, & etiam craſſos educerẽt, & quæ ad podagrã calidã conferant, ſicuti præcedẽtes ad frigidã cõueniũt. Puto autẽ in uſum ueniſſe, ut ſolæ maiores recipiantur: quia non eſt uerum earum ſolam materiam frigidam educere: imò educunt & calidam, ratione aloes & aliarum ſimplicium bilem educentium. Minorum uerò compoſitio hæc eſt.

℞	Hermodactylorum	ʒ. v.
	Scammonij	ʒ. ij. s.
	Myrobalanorum citrinorum	ʒ. iij.
	Roſarum	ʒ. ij.
	Aloes	ʒ. x.

Confice cũ cathartico roſ. & da ʒ. ij. tamẽ ſatis eſt ʒ. i.

&

& fortè nimis. Cùm uerò à Mesue dicitur has pilulas fie ri cum cathartico rosato, intellige electuariũ rosatũ suum solutione educens bilem, & non electuariũ de succo rosa rum Nicolai, quo tamẽ non pauci pharmacopolæ utũtur, cum à Mesue dicitur accipiẽdũ esse electuariũ rosatum: multiq; ita faciunt propter expẽsas, ut uideãtur medicamẽta uiliori pretio uendere quàm alij faciãt: cum tamen hi & ægros decipiãt, & integras authorũ cõpositiones nõ seruẽt. Est alia de hermodactylis cõpositio Mesue attributa, quã ipse inuenit, & qua potißimũ utũtur Alexã drini ex Alexãdria Lõgobardiæ. Ferrariæ uerò nullus unquã ea usus est, quod nouerim. Est uerò cõpositio talis.

℞ Hermodactylorum, Aloës — añ. ℥. v.
Myrobalanorum citrinorum, Turbith, Gingiberis — añ. ℥. ij.

Fac pilulas cum electuario rosato. da ℥. ij. Idem uerò intellige per electuarium rosatum, quod superius factum est per catharticum rosatum: nam electuarium rosatum est catharticum, id est purgatiuum. hæc compositio tam tenues, quàm crassas materias educit, & tam à propinquis, quàm à remotis partibus. SE. Compositionem illam quæ ex Rhasi accipitur, nunquam audiui. BRAS. Efficiam ut in præsentiarum illam audias. Vocat autem illam Rhasis, Pilulas de hermodactylis maiores. iubetq; in dolore iuncturarum exhibendas, quãdo nec calor, nec rubor in loco fuerit, & æger sit frigidæ temperaturæ: & locus, quem tangimus ubi ægritudo est, frigidus sentiatur:

titur: datq́; has pilulas in principio curationis. quod an cõueniat, uel non cõueniat, disputare non est opus. Compositio uerò est hæc.

℞ Hermodactylorum Satyrionis Meisahara		añ. ʒ. v.
Hieræ picræ	ʒ. x.	
Colocynthidis Centaureæ minoris		añ. ʒ. v.
Euphorbij	ʒ. ij.	
Turbith	ʒ. x.	
Sceitaragi Indi Gingiberis Sinapis Piperis Castorei		añ. ʒ. I.

Informẽtur ex his pilulæ, ex quibus à duabus drachmis & semis, aut iij. sumatur. hæ nanq; pilulæ ualde conferunt, quia non ualẽtes surgere, incedere faciũt: tamẽ nos ʒ. I. non excederemus. Arabes ampliorẽ medicamẽtorũ copiam ferũt, quàm nos ferre poßimus. SE. Nunquam uidi aliquẽ has Rhasis pilulas parantẽ. BR. Tamẽ aliqui parãt Ferrariæ & non ex infimis. Tu uerò semper tuas seruato, scilicet maiores Mesue, idq́; pro alijs medicis facito: nam de ipsis parũ curamus, imò illas nunquã indicemus. SE. Quid intelligit author in hac cõpositione per Meisahara? BR. Recẽtes dicũt esse Tithymali speciem: Meisahara. sed quænã sit, ignoramus. imò manifestè deprehenditur non esse Tithymali speciem: quoniam Serapio de eo agẽs

cap.

cap.365.sub nomine Meizaragi, extra Tithymali species describit. quòd autẽ hoc idem sit, licet nõ dicat meisahara, ex eo apparet, quia inquit cõferre doloribus iunȼturarum & articulorum: quid uerò sit, ignoramus. Etenim arbuscula est, in qua describenda nullã facit Græcorum mentionem Serapio: quod obseruare solet, quãdo soli Arabes de eo simplici loquuntur: quippe adducit solùm authorem quendam Abuzerig nomine, & alium qui dicitur Abix. fortè est arbuscula, quæ nucem uomicam producit: nam dicit folia huius arboris si ponantur in aqua, inebriare pisces, quod facit nux uomica. Credendum uerò est herbam etiam idem efficere: tamen de nuce uomica aliàs locutus est. In hac re sum ualde anceps, neq; quicquam certi determino, sed hæc anceps profero.

SENEX.

Pilulæ lucis. POsteaquàm in his de hermodactylis pilulis tanta diuersitas est, ad pilulas lucis sermonẽ uertamus. BR. Et in his non desunt suæ ineptiæ: quoniã Ferrariæ aliqui parant maiores, alij minores, laborem effugere uolentes tot simplicium quæ maiores ingrediuntur. Maiorũ compositionem referas. SEN. En.

℞ Rosarum
Violarum
Absinthij
Colocynthidis
Turbith
Cubebæ
Calami aromatici
Nucis muscatæ

Spicæ

Spicæ
Epithymi
Carpobalſami
Xylobalſami
Sileris
Seminis rutæ
Squinanti
Aſſari
Maſtiches
Caryophyllorum
Cinnamomi
Aniſorum
Fœniculorum
Apij
Caſiæ
Croci
Macis
} ãn. ʒ. ij.

Myrobalanorum citrinorum
Chebulorum
Indorum
Bellericorum
Emblicorum
Rauedſceni
} ãn. ʒ. iiij.

Agarici
Scenæ
} ãn. ʒ. v.

Euphragiæ ʒ. vij.
Aloes ad pondus omnium.

Confice cum ſucco fœniculi. Doſis eſt à ʒ. ij. uſq; ad ʒ. iij. tamẽ ſatis ſunt ʒ. ij. ad ſummũ. quippe mites ſunt, quo= niam

niam turbith & colocynthis in modica quantitate ingre diuntur. reliqua quæ educũt, ut ſunt myrobalani, rhabar barum, agaricus, & aloe, imbecillia ſunt. Nónne *tibi ui= detur hæc compoſitio mira atque magna?* BRA. Magna *quidem, utpote quæ multa ſimplicia recipiat, ſed iudicio meo inepta.* Aliquẽ *fuiſſe arbitror, qui abſq; ratione om nia in unum congeſſerit cùm calida, tum frigida, quæ o= culis conuenire uidentur: neque intentionem cõſideraſ= ſe, quæ eſt à capite frigidos humores educere, ut inquiũt recentes. nempe* Meſue *neque de calidis, neque de frigi= dis mentionem facit: uerùm hæc compoſitio calidos etiam educere poteſt.* Meſue *uerò dicit quòd addunt in uiſum, & eum roborant, & abſtergunt inſtrumenta ſenſuum, & expellunt ſuperfluitates, & cuſtodiunt ſanitatem cor poris, & præſumitur ſuper eis abſq; neceßitate abſtinen di. hæc* Meſue. Ex *quibus non accipitur, quòd craſſos humores uel tenues educant.* Verùm *huius compoſitionis author omnia in unnum collegit tam calida, quàm frigi= da quæ uiſui conferant, & addit medicamenta omnes ma terias euacuantia, tam calida quàm frigida, tam à remo= tis partibus quàm à propinquis.* SE. Tuo *igitur palato non ſapit hæc compoſitio?* BRA. Neque *meæ menti ſa= pit: etenim abſq; ratione omnia in unũ collecta ſunt, quæ ad unam intentionem uniuerſalem faciunt, abſq; ulla ſe= cretione, an ſit ob materiam tenuem uel craſſam, uel cali dam uel frigidam. uerum hæc omittamus.* Dic *autẽ quid accipis in hac compoſitione pro caſia?* SE. Communem *caſiam.* Illam, *inquam, quam tu cherath longam, uel ſili= quam oblongam nuncupare ſoles.* BRA. O *craſſa igno rantia.*

rantia. Hîc pro caſia opus eſt ſimplex illud accipere uocatum canella, quæ cinnamomũ non eſt, ſed antiquorum caſia. SE. *Subijt nunc memoriæ, te de hac re in Simplicium Examine mentionem fecisse. Verùm cùm cinnamomo careamus, duplum caſiæ, id eſt canellæ accipere oportebit.* BRA. *Id deinceps facito, & longam uocatam caſiam in hac compoſitione dimittito, quæ ad rem nihil facit. Vt autem ſuperius à nobis dictum eſt, multi pharmacopolæ ut laborem euitent potius quàm impenſas, pilulas lucis minores conficiunt: cumq; à medicis pilulæ lucis indicuntur, has minores quas ſeruant, præbent, quarum hæc eſt compoſitio eandem habens intentionem (ut inquit Meſue) cum præcedente.*

℞	Xylobalſami, Carpobalſami	ana ʒ I.
	Chelidoniæ	ʒ v.
	Roſarum, Violarum, Abſinthij, Euphragiæ	ana ʒ iij.
	Senæ, Epithymi, Myrobalanorũ citrin., Chebulorum, Indorum, Bellericorum, Emblicorum, Agarici, Colocynthidis	ana ʒ ij. s.

Squinanti
Licij
Lapidis lazuli
Aloës lotæ ad pondus omnium.

Confice cum succo fœniculi, aut chelidoniæ. SE. Nulla igitur est inter has & præcedẽtes quo ad intentionẽ differentia? BRA. Quantũ ad hoc quod uisui cõferunt, nulla: uerùm maiores, etsi omne materierũ genus educant, potißimùm uerò pituitosas educũt: minores uerò potißimùm atrabilarias, cùm & ipsæ omnes educere poßint. Verùm quid accipis pro xylobalsamo & opobalsamo? SE. Id quod alij accipiũt pharmacopolæ. BRA. In primis statim huius cõpositionis simplicibus errare incipis, quamuis etsi hæc duo simplicia abessent, non magnifacerem. Vulgus id recepit ueluti proloquiũ, opobalsamum uisui mirũ in modũ conferre: quod tamen nec cõstat, nec rationabile est, nec ab aliquo fide digno authore proditum est. At in usum uenit cùm uulgus profert hoc nomen balsamus, statim rem quẽdam mirabilem, & ueluti diuinam cõcipiat ac pretiosißimam, qua ægritudines omnes expelli poßint. SE. Meum igitur morẽ & deinceps sequar, maiores lucis pilulas cõficiens. BRA. Vt lubet facito. scitoq; hanc cõpositionem diu perdurare nõ posse: quia paucißima glutinosa recipit. intellige uerò glutinosa, ut mel, eclegmata, saccharum, mel rosaceum, & etiam genera gummi, quæ uim simpliciũ seruare possunt. Differunt uerò gummi genera ab alijs: quia & si gummi genera uim seruent medicamentorum, tamen compositiones prædura efficiuntur. Mel uerò & mel rosaceum, & electua

electuaria compositiones molliores seruant.

SENEX.

P*ilulæ alandaal consequuntur.* BRA. *Cùm duæ sint apud Mesuen sub hoc nomine compositiones, quam sequeris?* SEN. *Primam compositionem sequor, quam Mesue dicit esse Hermetis, & illam paro, atque seruo, quæ ualet ad sodam antiquam, & ad difficilem hemicraneam, & ad ægritudines neruorum, & iuncturarum. hæc uerò est illarum compositio.* Pilulæ alandaal.

℞ Trochiscorum alandaal	ʒ	xij.
Hieræ simplicis	ʒ	vij.
Mastiches	ʒ	ij.
Salis gemmæ	aur.	I.
Ladani	℥	I.

Omnia, præter ladanum & mastichen terantur, & cribellentur, & in unū misceantur: mastiche uerò pulverizetur cum pauco oleo nucū, & liniantur cum eo species, id est pulueres triti. deinde cum ladano conficiantur, & in mortario terendo pistillo calido fiant pilulæ crassæ. da à ʒ.S. *usque ad* ʒ.I. BRA. *Sunt uehemētissimæ pilulæ & quæ à remotis partibus impetuosè ducunt. His quandoque usus sum in morbi Gallici doloribus, cum caput & iuncturas uexant, & mirè cōtulerunt: tamen quia tormina commouent, & uentriculum subuertunt, & is qui accipit per tres dies appetentiā non habet: propterea ab his ipsis abstinere cœpi, & earum loco pilulis Alexandri utor, de quibus postea mentionē faciemus. Pituitam uehemēter educūt à remotissimis corporis partibus. De trochiscis Alandaal nihil in præsentiarum dicemus,*

qui ex colocynthide confecti sunt, quoniam de ipsis in libello de Trochiscis agemus. Tu locum illum perlege, si colocynthidis præparationē noscere cupis. SE. Sunt etiã nonnulli, qui secundã Mesue cõpositionem parãt. BRA. Scio, & ad eadem ualet ad quæ primam conferre dictum est: tamen sunt minus calidæ primis. Hæc est earum compositio, quæ (ut inquit Mesue) sublimis est ad cerebri ægritudines, & neruorum pituitosas, & iuncturarum.

℞	Trochiscorũ alandaal	ʒ	x.
	Salis gemmæ	ʒ	I.
	Ladani	ʒ	xij.
	Olei rosarum quantum sufficit.		

SEN. Per gulam optimè discurrere debent. BRA. Optimè propter oleum. De simplicibus, quæ has cõpositiones ingrediuntur, in Simpliciũ Examine dictũ est. Ladanum prius cum oleo misceto, deinde sal gẽmæ, & trochiscos.

SENEX.

Pilulæ de lapide lazuli.

SVa sedes pilulis de lapide lazuli in hoc loco data est. BRA. Hæ sunt in magno usu ubique, & alicubi illæ de lapide Armeno parantur. Tu in præsentiarum compositionem pilularum de lapide lazuli in medium afferas. SE. Hæc est apud Mesuen compositio, quæ ad ægritudines melancholicas ualet, & ad bilem adustam.

℞	Lapidis lazuli abluti		ʒ	v.
	Epithymi	ana	ʒ	viij.
	Polypodij			
	Scammonij			
	Hellebori nigri	ana	ʒ	ij. s.
	Salis Indi			

Agarici

Agarici ℥ viij.
Caryophyllorum } ana ℥ iiij.
Aniſorum
Hieræ picræ ℥ xv.

Conſice ex ſucco endiuiæ, & da drachmas duas cũ aqua caſei. BRA. *Ego nunquã excederem* ℥. I. *nam ſunt pilulæ ſatis uehementes. ad cancrum ualent, ad quartanam, ad lepram, & ad alias atrabilarias ægritudines.* Eandem *ferè inſcriptionem habet Serapio in ſuo* Antidotario. *Quomodo autem lapis lazuli abluendus ſit, ſuperius dictum eſt: & ille modus eſt ac regula abluendi omnes lapides.* At *cum non deſint pharmacopolæ, qui pilulas de lapide* Armeno *conficiant, ab re non erit earum compoſitionem adducere, quæ ualent ad atram bilem euacuandam, & bilem aduſtam, & omnibus morbis conferunt ab his humoribus factis. ita uerò conficiuntur.*

℞ *Lapidis Armeni loti & præparati* } ana ℥ v. Pilulæ de lapide Armeno.
Hieræ picræ
Epithymi } ana ℥ viij.
Polypodij
Agarici
Scammonij cocti in cydonio ℥ iij. s.
Caryophyllorum ℥ ij.
Salis Indi ℥ I. s.

Conſice cum ſucco ſolatri. SE. *Mihi uidẽtur uehementiores eſſe, quàm illæ de lapide lazuli.* BRA. *Imò ſunt uehementiores, & non ſolum bilem atrã educunt, ſed & flauam: quamuis & præcedentes bilem educant ratione*

ſcammonij. Simplicia quæ has cõpoſitiones ingrediuntur, in noſtro Simpliciũ Examine expenſa iam ſunt. Diu perdurare non poſſunt hæ pilulæ, quia nihil recipiunt glutinoſi, & ueluti lapis tempore dureſcunt. SE. Nónne & Indæ pilulæ atræ bili conducunt? BRA. Conducunt quidem, ſed non ſunt adeò uehementes ut illæ de lapide lazuli, & adhuc minus quàm illæ de lapide Armeno. Nonnulli putãt non fieri pilulas de lapide Armeno, & in uſu non eſſe, quia Armeno lapide caremus. uerùm hi decipiũtur: nam & lapis Armenus habetur ex Armenia cõportatus, & ex Germania. Non enim exiſtimandũ eſt ſpeciẽ illam lapidis non eſſe in alia mũdi parte, quàm in Armenia: ſed quia probatiſſimus eſt in Armenia propterea Armenus nuncupatur. Habet ferè eundẽ colorem cum lapide lazuli, de quo in noſtro Simpliciũ Examine egi. in aurifodinis reperitur, & eſt ferè ſemper chryſocollæ mixtus. Nos & ex Armenia, & ex Germania domi habemus chryſocollæ mixtũ, & experti ſumus ablutum atrã bilẽ egregiè ſoluere, & ſolam ℈.I. dedimus hic ræ mixtum. Alexanderq; Trallianus cap. 22. primi lib. Armeniũ lapidẽ ueratro præfert, utpote in quo ſit minus diſcriminis quam in ueratro. & dicit habere uim purgandi egregiam, tam per ſuperna, quàm per inferna, & tam lotum, quàm non lotum: tamen lotus nullam moleſtiã nullumq; angorẽ afferre poteſt. refertq; cõpoſitionẽ quãdam pilularum ex lapide Armeno, hoc modo confectam.

℞ Picræ, Epithymi, Agarici — ſingulorum obolos octo.

Lapidis

Lapidis Armeni loti ℥. s.
Scammonij ℈. iiij.
Caryophyllorum obolos duos.

Qua autem re conformentur, docet in alia compositione quam statim adducit, iuxta recentiores sui temporis, quæ hæc est.

℞ Picræ
Epithymi
Agarici
Lapidis Armeni loti } sing. diobolos iiij.
Scammonij ℈. ij.
Caryophyllorum granum unum.

Contundito singula de more, & redige in pilulas cum melle rosaceo, uel succo mâli medici. Dosis uerò esto ad minimũ ℈. ij. ego usq; ad ʒ. I. exhibeo. Optarim ut hæc compositio paßim haberetur: nam (ut idem Trallianus dicit) stomacho robur inducit, & multifarios humores euacuat, præsertim terreos, & atram bilem citra angustiam soluit: neq; est quod in huius lapidis usu quicquam periculi speres, quoniam neque strangulatum aliquem, neque animi deliquia morè ueratri albi inducit. Mesue in cap. De soda frigida, hanc secundam Alexandri compositionem per hunc modum refert.

℞ Hieræ picræ
Epithymi
Agarici
Lapidis Armeni loti & præpa. } añ. ʒ. iiij.
Scammonij præparati ʒ v.
Caryophyllorum ʒ I.

Fac pilulas cum aqua rosocea. dosis ʒ. I. SEN. *Parum differunt.* BRAS. *Imò eædem esse deberent.* SEN. *Vis ergo ut hanc Alexandri compositionem paratam seruemus, & ex lapide Armeno ex Germania comportato?* BRA. *Id summè optarem, & simul alij medici quod pro ægris suis indicerent, præscirent.*

SENEX.

Pilulæ de benedicta.

Contineri non possunt pilulæ de benedicta, quin huc sponte sub examen uenerint. BRAS. *Quis est harum pilularum author?* SEN. *Certè ignoramus, nisi ex Nicolai benedicta accipiantur.* BRA. *Inde initium habere certum est: nam benedicta Nicolai frigidæ podagræ confert, arthritdi, renibus, quoties ex frigiditate affecta sint. Est uerò eius compositio talis.*

℞ *Turbith*
Esulæ } *ana* ʒ x.
Sacchari
Diagridij
Hermodactylorum } *ana* ʒ v.
Rosarum
Caryophyllorum
Spicæ
Gingiberis
Croci
Saxifragiæ
Macropiperis
Amomi
Cardamomi
Lithospermatis

Petrose

Petroselini
Salis gemmæ
Galangæ
Macis
Carui
Fœniculi
Sparagi
Brusci
Granorum solis
} an. ʒ. I.

Mel quod sufficit. Detur in sero ex uino calido, ad modum castaneæ. SE. Hoc est eclegma de benedicta, quo utimur. BRA. Obstetrices Ferrarienses in uteri affectibus hac benedicta absque ulla affectus consideratione utuntur. Pulueres absque melle accipiuntur, & ex succo fœniculi pilulæ fiunt: uel, ut alij, ex melle rosato, ut diutius perdurent. nam ex melle cōfectæ non exiccantur: ex aqua autē fœniculi ferè lapidescunt. Datur harum pilularum drachma una, & etiā scrupuli quatuor. Qui hanc compositionem describunt, ita inquiunt.

℞ Specierum de benedicta ʒ. VI.
Ex melle rosaceo, uel ex aqua fœniculi, quantū satis est, fiant pilulæ. Omnia simplicia quæ hanc compositionem ingrediūtur, in nostro Simpliciū Examine prodita sunt.

SENEX.

Pilulæ de cynoglossa tanquam illæ quæ lento gradu profectæ sunt, ultimo loco accessēre. BRASA. Ex quo authore accipiuntur? SEN. Ex Nicolao. BRAS. Quomodo ex Nicolao, cum alij pharmacopolæ ex Mesue potius accipiant? SEN. Apud Mesuen nunquam legi Pilulæ de cynoglossa.

pilulas ſub hoc nomine de cynogloſſa. BRA. Equidem ſub hoc nomine à Meſue non deſcribuntur, ſed ſub eo nomine, Pilulæ ad omnes morbos catarrhi, & coryzæ, & tußis catarrhalis. SEN. Memini me uidiſſe has pilulas, & in quorundã medicorũ gratiam præparaſſe. BR. Multi pharmacopolæ has ſeruant, & non illas Nicolai. ſed Nicolai compoſitionem nunc referas. SE. Hæc eſt.

Pilulæ ad omnes morbos catarrhi, coryzæ, & tuſsis.

℞ Cynogloſſæ
Opij
Sem. iuſquiami } añ. ℥. iiij.
Myrrhæ ℥. VI.
Olibani ℥. V.
Caryophyllorum ℥. ij.
Cinnamomu
Corymbi } añ. ℥. ij.

Temperentur cum rhodoſtomate, id eſt cũ aqua roſacea, & conformentur pilulæ ad modũ ciceris, ex quibus dentur quinq;, uel ſex cum itur dormitũ. Nos damus unam maiorem. BRA. In hac compoſitione duo conſiderãda occurrũt: unũ eſt, aliquos Nicolai codices legere cozumbri, alios corymbi. Si legamus corymbi, facilè eſt uidere quid ſint: nam ſunt hæderæ flores, qui in unã maſſam collecti hoc nomine uocantur. pro eis autẽ accipienda ſunt ſemina. Tamẽ neq; apud Dioſcoridem, neq; apud Galenum uſquã inuentũ eſt corymbos tußi cõuenire, uel deſtillationi: neq; tenuẽ materiã craßiorẽ reddere poſſunt, ſed potius è contrario facerẽt: quamuis ex duplici ſubſtãtia cõſtare dicat Galenus, ex frigida, inquã, terrea & adſtringẽte: ratione cuius tenué deſtillationem incraſſare

poſſent

possent simul cum alijs in cõpositione præscriptis. constantq; ex substãtia calida. Sed ne lõgius te protrahã, suspicor hic nõ esse legendũ corymbi, sed potius cozũbri. SE. Ego semper accepi in hac compositione corymbos: ignoroq; quid tu per cozumbri intelligere poßis. BR. Arabes uocãt Cozumbri styracis fæcẽ: nos uerò hic intelligimus ipsam styracẽ: nã tußi cõferre, destillationib. grauedinibus, & faucibus dicit Dioscorides, & Galen. cõfirmat. Cùm uerò apud Arabes uocabulũ cozũbri sit potius falsi styracis nomen, & eius fæcis, quàm ueri, putamus hinc fuisse corruptũ uocabulũ: quia Græci styracẽ adulteratã σκωληκίτην uocãt, quasi uermicularẽ: inde corruptio cõtigit, & pro scolecite cozũbri legunt. SE. Styrax igitur accipienda est. BRA. Accipienda, ut arbitror. SE. Quidnam illud est quod secundo loco considerandum proponebas? BRA. Id est, ex quo tota compositio conficitur & conglutinatur, scilicet rhodostoma. SEN. Nónne est aqua rosacea? BRA. Equidẽ: nam Græci sua uulgari lingua ita uocant aquam rosaceam ui ignis eliquatam: tamen suspicati quandoq; sumus, an legi oporteret rhodostacte. Est uerò rhodostacte antiqua cõpositio, qua facilè cõcinnari possunt catapotia. Fit autem (ut Paulus docet lib. septimo, cap. 15. circa finẽ) ex succi rosarũ exectis unguibus sextarijs duobus: mellis sextariũ unum decoquito usq; despumãdo, donec pars quarta coctura euanescat. Si hæc compositio ex rhodostomate fiat, diuturna non est: ex rhodostacte uerò diu perdurare potest, & uim medicamẽtorũ seruare magis, quàm si ex aqua rosacea: licet & gũmi uim medicamentorũ seruẽt.

Cozumbri.

Rhodostoma.

Rhodostacte.

Primò

Primò igitur gummi in aqua rosacea dissoluantur, alia deinde commisceantur. Hæc de Nicolai compositione, quam tu paras, satis sint. In alijs autem officinis inueniuntur pilulæ Mesue de cynoglossa, quas tamen ipse non uocat de cynoglossa, sed pilulas ad omnes morbos catarrhi, coryzæ, & omnis tußis catarrhalis. At hæc simpliciter uera non sunt, quippe solùm confert destillationibus calidis & tenuibus, quas egregiè sistit. Nõnulli sunt, qui eas uocant pilulas alchazaber. uerùm idem est ac si dixissent de cynoglossa, quo nomine etiã alij in hac compositione utuntur: quarum commixtio hæc est.

℞ Myrrhæ puræ ʒ. VI.
Olibani ʒ. V.
Opij
Iusquiami } añ. ʒ. iiij.
Croci ʒ. I. S.
Radicum linguæ canis ʒ. iiij. s.

Fiant pilulæ, & administrẽtur, & da à ʒ. s. usq; ad ʒ. I. Confici autẽ debent, aut ex oxymelle, aut rosaceo melle, aut aqua rosacea. Veruntamen id te non lateat, Mesuen in fine summæ quartæ in cura catarrhi, descriptionem quandam pilularum posuisse ex sententia Alexandri, quas dicit uocari pilulas halchaiber, ubi loquitur de medicamentis ad tußim catarrhalem frigidam. hæc uerò est earum compositio, ut refert Mesue.

Pilulæ alchazaber.

℞ Myrrhæ ʒ. iij.
Thuris masculi ʒ. ij. s.
Opij
Hyoscyami } añ. ij.

Radi

Radicum alchalchacar siccæ

Confice cum succo Alcazaber humidæ. da ex eis à tribus usq; ad quinque in sero: sunt enim mirabiles. SEN. Quid significat Alchalchacar? BR. Cynoglossam. SE. Nónne & Alchazaber idẽ significat? BR. Ita inquiunt: sed sunt barbara nomina, & ut arbitror corrupta. SE. Reperiũtur'ne apud Alexãdrũ hæ pilulæ? BR. Maximè: uerùm ipse nõ uocat pilulas de cynoglossa, sed bechicas: quarum superius in bechicis pilulis mentionem fecimus. & Paulus has mirificè effert tanquam ualidißimas, & quæ medendo acri & tenui fluori plurimùm ualent, cuius beneficio plures uidi una dũtaxat potione sanatos, quæ & succurrũt eximiè sanguinis fluori per quamcũq; eat partem. SE. Differt'ne compositio, quam refert Mesue, ab illa uera Alexandri? BRASA. Solùm in pondere differunt, & in materia ex qua glutinantur simul simplicia. SEN. Alexandri igitur compositionem referas. BRA. Hæc est. Alchalchacar

℞ Myrrhæ troglodyticæ denariûm pondo VI. Pilulæ Alexandri.
Thuris denariûm pondo quinque.
Lachrymæ papaueris
Hyoscyami
Radicis cynoglossi } añ. denariûm pondo iiij.

Cortices prius in sole exiccatæ in puluerẽ redigãtur, & per cribrũ traijciantur, postea cum alijs confundantur. Papaueris uerò lachrymã, quam opium uocãt, aqua diluito, fac deinde pastillos põdere singulos denarij unius. dato cuiq; pro suis uiribus, & morbi magnitudine. hæc Alexander lib. 2. cap. 4. SE. Certe parum differunt.

sed

ſed cur dat pro uiribus cum non exoluant? BR. *Id facit ratione opij. nam in uiriū imbecillitate ea quæ opium recipiunt, danda non ſunt, ne modicus ille calor qui adeſt extinguatur. Tu igitur inſtitutum proſequaris.*

SENEX

Nihil aliud mihi dicendum ſupereſt, cum pilulæ omnes quæ Ferrariæ *in uſu habentur, iam enarratæ ſint.* BRA. *Tam pauca ſunt apud uos pharmacopolas pilularū genera?* SE. *Non plura* Ferrariæ: *tamen unum aliud genus mihi in mētem uenit, quo tu uteris, & cæteri qui te ſequūtur medici.* BRA. *Quodnam?* SE. *Id genus quod tu nonnunquā uocas pilulas de nitro, ut plurimùm pilulas* Alexandri. BR. *Imò neq; iſtud genus prætermittendum erat: nam à capite uehementer educunt, ab extremis partibus, & à iūcturis, & omne materierum genus expurgant, tam craſſarū, quàm tenuium, tam pituitoſarum, quàm atrabilariarū & bilioſarū. Certè inueni has pilulas in iuncturarū dolorib. miras, in podagra, in chiragra, in capitis dolore: in Gallico morbo ea uidimus quæ dictu ferè incredibilia uidentur.* Meſue *in cap. De epilepſia, hanc cōpoſitionē adducit ſecundum* Alexandrū, *dicitq; nullas eſſe fortiores pilulas his ad epilepſiā, arthritim, & podagrā. Earum uerò compoſitio hæc eſt.*

Pilulæ de nitro.

℞	*Aloes*	*aū. partem unam.*
	Colocynthidis	
	Scammonij	
	Bdellij	
	Hellebori nigri	
	Corticum gummi	

Euphor

Euphorbij } aā. partem semis.
Baurach

Confice cum succo caulium. dosis est à ʒ.1. usq; ad ij. tamen ego nūquam excedo drachmā. SE. Vnum est in quo ambigo in his pilulis, de quo uolui te sæpius interrogare & semper oblitus sum, quid scilicet intelligendū sit per corticem gummi. BR. Respondere possem intelligendum esse corticem arboris gummi mixtum, uel partem craßiorem. tamen quia arbitror ueram gummi compositionem ingredi oportere (si ingredi debeat) & non aliquid superfluum: propterea in Mesue ita legendum arbitror, corth, id est gummi. scriptores uerò simul coniunxêre illam particulam, id est cum illa corth, & legêre corthi, quam dictionem alij transcribētes dixêre corticum gummi: cum tamē legi debeat corth, id est gummi: nam hoc nomine Arabes uocāt gummi. Tamen non mihi placet, ut in hac compositione Mesuen imiteris, sed Alexandrum qui de gummi nihil dicit: sed pro gummi, comi scriptum est, cum inquit.

℞ Aloes
Colocynthidis
Scammonij
Bdellij
Corticis uerari nigri
Comeos
} singul. ℥.s.
Euphorbij unciam unam.
Nitri unciam dimidiam.

Excipe succo braßicæ, & redige in catapotia. dosis est ℈ iij. seu iiij. pro ægri robore. forte error illius particulæ

corti

corticũ gũmi hic fuit: quia dicit prius ueratri nigri corticis, postea sequitur ameos: Mesue autem dixit ami, & librarius coniũxit illam particulã corticis cum illa ami, legitq; gummi & ami. Quicquid uerò sit, tu cõpositionem illam conficere debes, quam nuper ex Alexandri lib. 1. cap. 21. adduximus. SE. Eam deinceps parabo. BRA. Extat & apud Galenum prope finẽ quinti libri Methodi medendi compositio quædam, quæ huic similis uidetur. & Galenus eodem loco dicit has esse suas pilulas, quæ à capite purgant plures excrementorũ species. SE. Compositionem refer. BRAS. Hæc est.

℞ Aloes
Scammonij
Colocynthidis
Agarici Bdellij
Gummi Arabici } añ. partes æquales.

Misce, & fiant pilulæ. SE. Plerunq; hanc compositionem in Nicolai Leoniceni gratiam conficiebam, & ipsi illam uocabat, Pilulas de Sex rebus. BR. Mihi uerò nũc succurrit in tua officina nonnunquam audiuisse eundem Leonicenum pilulas de sex rebus iudicentem. SE. Fieri potest.

Pilulæ de sex rebus.

BRASAVOLVS.

AT scire uelim diligentissime Senex, cur sebellias pilulas à Sebellio authore inuẽtas nõ seruetis. SE. Nunc non succurrunt mihi hæ pilulæ. BR. Vltimæ sunt in Mesue Antidotario, ubi de pilulis agit. Hæc autem est illarum compositio.

Pilulæ sebelliæ.

℞ Spicæ Indæ 3. v.

Spicæ Romanæ	ʒ ij.	
Raued		
Agarici	ana ʒ iiij.	
Epithymi		
Costi		
Mastiches	ana ʒ iij.	
Chamedreos		
Amomi		
Croci	ʒ ij.	
Myrrhæ		
Cinnamomi	ana ʒ I.	
Caryophyllorum		
Squinanti		
Aloës	ʒ x.	

Fiant cum uino antiquo. da ʒ. ij. cum uino permixto. Hæ Mesue sunt pilulæ satis mites, & quæ plurimum prosunt. soluunt enim materiam biliosam, crassam, & iecoris, splenis, ac stomachi obstructiones aperiunt. hydropi conferũt aquam educentes. SE. Memini me quandoque seruasse has pilulas in officina: sed posteaquam uidi nullum medicum ipsis uti, & pixidẽ & pilulas ab officina eieci. BRA. Vtinam id fecisses de multis alijs pilularum compositionibus: nam paucißimæ sunt quas uerè probẽ. Sed cur Imperiales pilulas omisisti, & de styrace, de croco, de colocynthide, & multas alias? SE. Quia Ferrariæ in usu non sunt: & si quis eas cõficere uoluerit, nũquam uendentur. BRA. Igitur huic sermoni de Pilulis finẽ faciamus. SE. Vt lubet, modò singulatim omnes pilulas iterum recenseas, de quibus superius dictũ est, & breui ad

quid conferant, explicare tentes. BRAS. Vis igitur ut eundem laborem iterum sumamus? SEN. Non erit idem labor: sed erit, breui in memoriam reducere ea quæ iam promiscuè, sparsim & confusè explicata sunt. BRA. Ne uidear in re tam exigua tibi obtemperare nolle, id libenter efficiam: sed tali ordine pilulas explicabo, ut mihi in mentem uenient. SE. Res est nullius momenti hic ordo. BRA. Audias igitur.

Pilulæ aggregatiuæ omnes humores educunt, præsertim illæ Mesuæ, & antiquis febribus conferunt, & ægritudinibus capitis, stomachi, iecoris, lienis, & omnium membrorum. Aggregatiuæ autem maiores humores crassos potius educunt.

Pilulæ Alefanginæ educunt humores crassos, pituitosos. mundificant stomachum, cerebrum, & instrumenta sensus. concoctionem adiuuant, & doloribus uentriculi & intestinorum conueniunt.

Pilulæ de hiera simplici educunt biliosas materias, crassas, & pituitam quæ in uentriculo, iecore, ac uijs potißimùm sit: & uentriculo, ac capiti imbecillioribus conueniunt. his mirum in modum prosunt, quibus uel ob studium literarium, uel ob aliud simile uentriculus imbecillis effectus sit.

Pilulæ de hiera cum agarico bilem educũt, & pituitam: capiti conferunt, uentriculo, & pectori.

Pilulæ de hiera Logadij atrabilarias materias & pituitosas uehementer educunt, imò & bilem educunt. impeditam locutionem ex quacunque causa fuerit sanitati restituunt: paralysi conueniunt, tremoribus, epilepticis,

pticis, & omnibus ferè capitis morbis, extremitatum, & partium neruosarum.

Pilulæ de rhabarbaro biliosos humores & crassos educunt: febribus ex diuersis humoribus putridis conferunt: dolori iecoris, & hydropi succurrunt.

Pilulæ de tribus cum rhabarbaro bilem crassam, & pituitam educũt. uentriculo cõueniunt, capiti, atq; pectori.

Pilulæ Assaiareth uentriculo cõueniunt, capiti, & iecori, & bilem crassam educunt, ac pituitosam materiam.

Pilulæ Indæ atram bilem exquisitè educunt, ægritudinibus atrabilarijs cõueniũt: quartanæ, tremori, maniæ, & lienis duritiei.

Pilulæ Sine quibus esse nolo, educunt bilem atram, atque flauam, & pituitam: caput mirè purgant, suffusionibus conueniunt, oculorum obscuritati, iliosis, & aurium dolorem soluunt.

Pilulæ de Agarico educunt humores crassos, putridos, pituitosos: pectori cõferunt, asthmati, et tussi antiquæ.

Pilulæ aureæ bilem purgant, & pituitam: capiti conferunt, oculis, uentriculo, iecori.

Pilulæ fœtidæ humores crassos educunt, pituitosos, & atrabilarios. iuncturarum doloribus conferunt ex crudo & pituitoso humore: lepræ conueniunt, morpheæ, & dolori uentriculi à materia crassa & flatu.

Pilulæ cochiæ biliosos humores educunt, & pituitosos crassos. hemicraneæ conueniunt, dolori uentriculi, & ilij.

Pilulæ de hermodactylis maiores frigidos iuncturarum humores educunt, & frigidis morbis conueniunt.

minores ualent ad materias calidas iuncturarum, & calidis morbis conferunt.

Pilulæ Arabicæ purgant omnes humores tam frigidos, quàm calidos: tam crassos, quàm tenues. lætitiam inducunt, sensus roborant: capitis doloribus, aurium, & dentium conueniunt. idq́; faciunt in omni ætate.

Pilulæ lucis maiores pituitam magis educunt, minores atram bilem magis. uisum & sensus roborant: caput, & totum corpus ab omni materia euacuant.

Pilulæ cõmunes, biliosas materias, crassas, educunt. uentriculo cõferunt, & capiti, & à pestilentia præseruãt.

Pilulæ bechichiæ nihil educũt, sed tussi conferunt ex materia tenui calida, & destillationi quæ ad pectus fluat.

Pilulæ de cynoglossa magis quàm bechichiæ (quamuis & ipsæ bechichiæ sint) ualent ad destillationẽ tenuem & calidam, & ad omne genus catarrhi & tussis, potissimum ex tenui materia.

Pilulæ masticinæ biliosos humores educunt, crassos, & pituitosos. uentriculo conueniunt, pectori, & capiti.

Pilulæ stomachicæ biliosos humores & pituitosos educunt. concoctionem perfectiorem faciunt: cerebrum & stomachum à corruptis humoribus purgant, appetentiamq́; excitant.

Pilulæ Alandaal pituitam & humores crassos educunt, idq́; faciunt à iuncturis, & à capite, & à partibus longinquis, & capitis doloribus conferunt.

Pilulæ de mezereon educunt aquam citrinam, & aliam præterea. asciticis mirum in modum conferunt.

Pilulæ de benedicta pituitam cum bile à remotis partibus edu

bus educunt, & à iuncturis. potißimùm renibus conferunt, & uesicæ.

Pilulæ de eupatorio bilem crassam educunt, & pituitã: periodicis febribus conueniunt, & longis: iecoris doloribus & obstructionibus opitulantur, & icteritiam delent.

Pilulæ de sarcocolla pituitam educunt, & omnibus pituitosis ægritudinibus conferunt.

Pilulæ de serapino educunt pituitam crassam, glutinosam. paralysi conueniunt, iuncturarum doloribus ac dorsi, modò à frigida causa contingant. podagræ succurrunt, & frigidæ chiragræ.

Pilulæ de Aloë educunt bilem crassam pituitæ mixtam. roborant uentriculum: & capitis doloribus, qui à uentriculo dependent, conferunt.

Pilulæ de lapide lazuli humores atrabilarios educunt, & adustã bilem: quartanæ conferunt, cancro, & omnibus morbis atrabilarijs. Indicis præponendæ sunt.

Pilulæ de lapide Armeno ad idem ualent, & sunt adeò mites, ut absque molestia & angore educãt, & omnes alias præcellunt ex his que atram bilem educunt.

Pilulæ de nitro omnes humores educunt, tam tenues, quàm crassos: tam calidos, quàm frigidos, & ab omni parte tam longinqua, quàm remota: unde omnibus iuncturarum morbis, & capitis competunt. Hæ sunt (ut arbitror) uenerande Senex omnium Pilularum uires, quarum superius in Examine mentio facta est: nisi genus aliquod mentem nostram effugerit. SE. Nullum genus mihi succurrit de quo uires adductæ non sint.

BRAS. Prandij hora instat, & à me ægri quidam inuisendi sunt, ut illis uictũ instituã: uel hîc me expectato, uel negotia quædam interim expedias, ut opportunè in prandio mecum esse poßis. SE. Hoc tibi spondere non decreui: sed à prandio statim ad te accedam, ut denique huic sermoni de Compositis medicamentis finem faciamus. Nam post Catapotia, uehemẽter opto ut medicamenta cathartica recenseamus, quæ uel liquida sunt, uel consistentiæ mellis formam habent, aut paulò densiorem: ne in his componendis error aliquis in nostra officina contingat. BRAS. Id pro uiribus efficere nitar, ut in eo quod possum tibi faciam satis. Interim ô famule mulam adducito. Vale Senex, & posteaquàm in prandio nobiscum tibi esse non licet, à prandio te expectabo. SEN. Statim accedam.

FINIS.

Index eorum quæ in hoc PILVLARVM libello continentur.

FINIS.

FRANCISCI BOVII FERRA-
riensis, ad lectorem epigramma.

Moribus & uirtute prius Centaurus Achillem,
Mox etiam medicis artibus instituit.
Sic tibi dat MVSAE *Brasauli, lector, utrunque*
Exiguus chartis, magnus at arte liber.
Nam docet, affectus qua sit ratione regendus:
Ne qua cupido animum, neu grauis ira premat.
Tum globulos medicos examinat ore uorandos,
Qui sint, quas uires, pondera quanta ferant.

Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum, & aluum bonam facientium, iuxta ordinem alphabeti.

CONRADO GESNERO AVTHORE.

CONRADVS GESNERVS
MEDICVS TIGVRINVS
LECTORI S.

SIMPLICIA *aluum deijcientia, quorum apud antiquos usum fuisse cognoui, uel etiamnum esse, quantum peruestigare licuit, per alphabeti ordinem ante aliquot annos in tabulam digessi, & ubi ueterum authoritate fieri potuit, quos peculiariter humores educant, adscripsi, flauam'ne uel atram bilem, pituitam aut aquas: item quæ simpliciter purgant, uidelicet excrementa uentris solum, non autem remotius attrahẽtia.* Eisdem *uomitoria pharmaca coniunxi.* Ea *uerò quæ bonam faciunt aluum, aut molliunt tantũmodo, seorsim de industria collegi.* Hanc *tabulam fortè inter fasciculos chartaceos repertam studiosis cõmunicare uisum est, quibus hanc operam non ingratam nec inutilem fore spero.* Hoc *admonendus es* Lector, *humorum nomina singulis ferè literis initialibus designata, ita ut* P. *pituitam,* B. *bilem flauam,* M. *melancholicum humorem significet.* Vale.

BSINTHIVM B.

Abſinthium marinum uel ſeriphium aluum leniter deijcit.

Adianthum, uel capilli ueneris B.P.& humores craſſos. Sunt qui adijciant M.

Aeris flos, uel chalcanthum, uel atramentum ſutorium craſſa per aluum exigit. Dioſc. idem naribus infuſus bilem largam euacuat. Aëtius. Serapio P.

Aeris ſquamma aquam ducit & P.

Aëromeli, uel manna Arabum B.

Aes uſtum uomitorium eſt. Dioſc.

Agaricum B. P. & ſpiſſos humores.

Agni ſemẽ cum pulegio & melle potum purgat aluum.

Aliſma. uide Damaſonium.

Alypon M.

Alypiam Actuarius turbith albũ interpretatur. Sed Paulo Alypias eadem quæ alypon uidetur.

Aloe B.

Alyſſon M. etiam per ſuperiora.

Amygdalinum oleum.

Ammoniaca gutta aquas.

Anacardi P.

Anagallides ex aqua mulſa. Sanat & hydropicos earum ſuccus.

Anagyris ſemen uomitorium eſt.

Androſæmi ſemen B.

Aphronitrũ, id eſt nitri ſpuma. Arabes baurach uocitãt, quanuis id Meſue cum nitro confundat. P. crudam uiſcoſamq;.

Apios

Apios uel iſchas P. & B. utrinq;, radix, ſuperior uomitu, per aluum inferior.

Apij, uel iſchados dimidium quod ad radicem eſt manducatum, nonnulli id chamæraphanum uocant, P.

Aqua maris aluum turbat.

Aqua mulſa è melle crudo pota uentrem mouet, glutinoſa extenuat.

Ari folia inaniunt ex ſale & aceto ſumpta. Sed quoniam apud nos acrimonia feruent nimia, ſemel aut iterum folijs decoctis utendum ſuaderem: quod & in dracunculi radice Galenus fecit.

Ariſtolochia clematitis, colocynthidis more purgat.

Ariſtolochiæ clematidis ſemen B. & P. ſtomacho quoq; confert. Arabes etiam rotundam cõmendant ad P. & iuxta alios bilem quoque.

Armenicum M. & quicquid craſſum uiſcoſumq; corpori adhæret.

Aſcyri, & aſcyroidis ſemen B.

Aſphodeli radix purgat, uomitiones adiuuat. Eiuſdem ſemen, & flores. Succus quoq; ad purgandum triticeo pani miſcetur.

Aſſa fœtida. uide Sagapenum.

Aſtrantia, meiſteruurtz, ſiue meo iudicio petroſelinum Eſtreaticũ, & Macedonicũ cõmuniter dictũ, de quo apud Galenũ de Antidotis lib. 1. aquas ducit, ſed magis per urinã: & M. purgat, ut multorũ fert ſententia.

BAlaninum oleum P

Balanus myrepſica, ſiue ben Arabibus, uomitionibus & aluo P. euocat.

Balſami ſemen potum ex uino iuuat uētrem. Marcellus.
Baurach. uide Aphronitrum.
Bdellium Arabicum, perlucidum ac flauum P.
Betonicæ folia aluum ſubducunt.
Betonicæ radix faciles præſtat uomitiones, hellebori modo.
Betonicæ ſemē omnia mala medicamēta exigit per aluū.
Braſsica marina aluum maximè ſoluit.
Braſsicæ ſuccus, ut quidam uolunt, M.
Britannicæ ſuccus, apud Marcel.
Bryoniæ radix P. Coliculi teneri manduntur ad aluum ciendam.
Bulbi uomitorij radix in cibo ſumpta per ſe, uel poto eius decocto uomitiones cit. Dioſcorides.
CAchille, uel ut alij cacile, luteam hydropicorum aquam inanit. Serapio.
Calla, ea quæ Aro ſimilis eſt. Plinius.
Cameli cauda areſacta. Plin.
Cameli urina. Plin.
Capilli ueneris. uide Adianthum.
Capnium, ſiue fumaria B. & humores aſſatos.
Capparis aluum turbat. Semen excrementa alui & urinam cruentam trahit. Dioſcorides. Sed Apula uomitiones facit.
Capparis radicis cortex P.
Caprifici lac, multo efficacius quàm fici aluum ſoluit.
Caſsia fiſtula, ſiue Alexandrina B.
Caſtoreum ex aqua mulſa uentrem elicit.
Canffer uiribus ſantalis reſpondet: ſed ab aureo uno
ad

ad ij. potum uentrem cit. Auerrois.

Centaurij minoris decoctũ clystere infusum coxendicum dolores leuat: trahit enim sanguinem.

Centaurium maius M. ut aliquibus placet.

Centaurium minus B. & crassos humores. Aëtius inquit, craßißimam bilem & mucos.

Chalcanthum. uide Aeris flos.

Chamæcißi balanus aluum ciet. Plinius.

Chamædrys B.

Chamæleonis nigri radix, quæ & Isium P. Aëtius.

Chamelæa B. P. & aquosos humores, semine uel folijs.

Chamæpitys P. & aquas.

Chamæropis, hoc est Chamædryos semen uentrem mouet. Marcellus.

Chamæsyces ramuli elixi, in cibo sumpti aluũ soluunt. potest idem & lac ex eis collectum.

Cyaneum, siue lapis Lazuli M.

Ciceos, uel Ricini grana P. B. & aquas.

Cicer syluester copiosius sumptum aluum uacuat.

Cicinum oleum P.

Cici & oleum cicinum aluo uomituq; purgant.

Cyclaminus B. & P. Sed Marcellus habet P. & aquam: & Serapio aquam.

Cyclamini alterius semen uẽtrẽ subducit. Cissanthemon uocant, quòd flores hederæ similes habeat. Galenus.

Cynocrambæ, id est braßicæ caninæ folia olerum modo cocta B. & aquas trahunt, & aliter quoq; pota aluum soluunt.

Cypria, uel æris squamma, aquam exhaurit, & P.

Citrei mali ſemen uenenis aduerſatur, & aluum deijcit. Dioſcorides.

Clematidis alterius geniculatæ per arbores repentis ſemen B. & P.

Clematis alia in aruis, & uineis nata purgat.

Cneorum, id eſt folia thymelææ aquas. Paulus.

Cnicinum oleum eandem cum cnidio oleo purgandi aluum uim habet, ſed minus efficacem. Dioſcorides.

Cnicus, P. & aquas: imprimis ſemine, ſed flore imbecillius, facit nauſeam quoque.

Cnidium granum & oleum. Vide Gnidium.

Coccus Cnidius aquoſa maximè: ſed B. quoque & P. moderatè ducit.

Cochleæ, quæ ſyluestribus frutetis, & ſentibus hærentes inueniuntur, quas ſeſilos aliqui nominant, aluum & ſtomachum turbant, uomitiones mouent.

Colchicon, uel Hermodactylus P. Actuarius, Meſue.

Colocynthis P. & quæ mucoſa ſunt. addunt aliqui & B. Clyſtere infuſa P. & B. ſtrigmenta, & aliquando cruenta trahit.

Colocynthis herbacea arefacta per ſe inanit aluum. Plinius.

Colophonia uel pix frixa P.

Coluteæ fructus ſiue Senæ, P. B. & M.

Crotonis, uel ciceos grana P.

Cucumeris anguini, uel agreſtis radicis cortex P. idem hydropicis commodiſsimus eſt. Vide Elaterium.

Cucumeris radix uomitionibus ſeruit.

Cucumis ſyluaticus. P. B. & aquas.

Cucurbitæ domesticæ succus cyathorum trium cum uini albi calefacti hemina datus, & olei semuncia P. & B. pellit. Marcellus.

Cunila onites aquatiora per uomitum educit.

DAcrydium, siue scammoniũ præparatum B. & P.

Damasonij radix sursum deorsumq́; trahit B. & P. Succus magis per sellas, radices sursum. Marcellus. Damasonij tamen, siue alismatis radicem Dioscorides prodidit intestinorum tormina sedare, & herbam aluum sistere.

Daphnoides, uel laureola P. & aquas: idẽ uomitus prouocat.

Dictamni succus illitus, aut cũ polenta tritus uentrẽ citat.

Dracunculus maior M. ut aliqui. Sed Mesue P. scribit. Eius radicem Galenus semel, iterum, & tertiò decoctam, quo omnem exueret medicam uim, interdum ari modo in cibis exhibebat, præcipuè cum lenti craßiq́; humores maiore nixu essent propellendi.

EBulus ad omnia efficacior sambuco.

Ebuli folia olerum modo cocta P. B.

Ebuli radix aquas. Datur & semen hydropicis.

Elæomeli cruda, & biliosa.

Elaterium suprà infraq́; inanit B. & P. Vide Cucumis agrestis.

Epithymum in stœbe quoq; reperitur, & thymbra priuatim epithymbrum nominatur. Sed ex thymo ualidius uacuat M. alia duo imbecilliora sunt.

Eruca uomitus iuuat. Aëtius.

Eruum Dioscorides iubet aqua aliquandiu macerari, dein

dein frigi usque dum cortex rumpatur, & angustiore cribro traiectam farinam reponere. Bonam enim aluum facere. & si copiosius sumpta fuerit, per aluum uesicamq; cum torminibus sanguinem ducere.

Esula P. *siue ea pityusa ueteribus, siue tithymallus cyparißias sit.*

Eupatorium Arabum B. & P.

Euphorbium pituitam quidem, sed aquam ualidius ducit.

FEl tauri gutturi illitum uomitiones cit. Aëtius.

Fex uini arida trita, tartarum uulgus uocat, M. *ut placet aliquibus.*

Ficus assa oleo imbuta & pipere conspersa, post deambulationes à somno ad uomitus datur. Aëtius.

Fici succus lacteus aluum soluit, item cymæ. Sed caprificus uiolentior est.

Filix fœmina primò bilem trahit. mox aquas folijs, sed radice efficacius.

Filix utraq; stomacho inutilißima, primò B. *mox aquas.*

Flos æris. Lege Aeris flos.

Flos salis P. & B. *ut Serapio.*

Fumaria bilem, & humores adustos.

GAlli ueteris ius Serapioni purgat M.

Gallinacei stercoris albi cochleare in aqua aut melicrato dilutum, uomitus mouet anginis subuenientes.

Garum B.

Gladioli radix pota. Marcellus.

Gnidium coccum B. P. *sed aquosa maximè.*

Gnidij cocci oleum potu aluum purgat.

Granum nil P. *Serap.*

HEderæ chrysocarpi baccæ aquas ducunt. Plinius.
Heliotropium maius B. & P.
Helleborus albus bilem & P. per uomitum reijcit.
Helleborus niger B. M. quidam & P. addunt.
Herba urceolaris biliosa, & aquatiora deducit. Marcel.
Hermodactyli, seu Colchicum P.
Hibiscum ex aqua potum uentris stricturas aperit.
Hippophæstum aquas & P.
Hippophais succus biliosa, aquosa, pituitosáq; per inferna ducit. Dioscorides.
Hippophais lachryma B. Nam radix tantum aquam deducit. Marcellus.
Hyssopus humores crassos, & P.
Hyssopus montanus P. humores crassos, & putridos. Mesue.
Hyssopi decoctum uomitus iuuat.
IRis B. & crassam pituitam & aquas.
Irini spissamentum P. & aquas.
Irininum oleum per clysterem immissum pituitosa, & aquata & purulenta, & atra trahit.
Irinum unguentum ad uomitus aptum est.
Ischas uel apios P. uide Apios.
Isij cortex, hoc est de chamæleonis nigri radice P. Aëtij.
Iuiubæ, Romanis Zizipha, Græcis serica uocantur, B. Serapio. Addunt alij serosum sanguinis humorem ea elicere. Optima esse, quæ maxima ædesina dicta. Galenus tamen serica dicit, parui succi poma, nec concoctioni, nec stomacho facilia. Effrenatis pueris & mulieribus cibi gratia tantum expetita.

Iuli nucis iuglandis catuli uocati.
Iuncus angulosus M. ut quidam scribunt.
LAbruscæ radix humorē alui ciet, hydropicis datur.
Lactuca syluestris aquas educit.
Lanaria herba. uide Struthium.
Lapis armenicus M.
Lapis lazuli, uel Cyaneum M.
Lapis lincis M.
Lapis stellatus duplex Arabibus describitur: alius pyrites albus è quo argentum cōflatur, alius idem cum cyaneo, uel lapide lazuli, qui & melior: purgant M.
Laserpitium. Vide Assa fœtida.
Lathiris P. & B. Sed præcipuè P. & aquas.
Laureola uel daphnoides P. coliculi teneri, id est Cymæ lauri P. & lumbricos celeriter eijciunt. Marcellus.
Lauri folia uiridia P. Paulus.
Lauri folia sunt uomitoria.
Lemnia terra præsumpta uomitione uenena pellit.
Lychnidis syluestris semen B. & P. Est autem Lychnis ea herba, quam Hermolaus Barbarus Venetijs iecorariam dici meminit, in littore paßim nascentem, & olitorio foro ieiuniorum tempore uenalem, hederaceo ferè folio, flore purpureo, lilij pusilli effigie. Conuoluit herba se quibus appropinquat. Soluit aluum cocta, & cruda oleris modo accepta.
Lilij radices aquas educunt. Serap. Eædem cum mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahunt.
Lilij radices è mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahunt.

Lonchitidis ſemen aquas.

Lupini.

Lupus B. moderatè mouet. Lupus ſalictarius à Plinio dictus uidetur.

Lyncis lapis M.

MAlua cum lubricum faciat uentrem, ſanguinem quoque purgat, & defecatum reddit. Aëtius.

Mandragoræ ſuccus.

Mandragoræ liquor obolorũ duorũ põdere cum mulſa aqua potus pituitã nigramq; bilẽ ueratri modo uomitionibus purgat. Maiori tamẽ copia potus mortẽ facit. Dioſcorides.

Manna, uel aëromeli B.

Maſtichæ ſcrupuli nouem tenuiſsimè triti cum aqua aut lactis aqua pleuriticis ad aluum moliendam ab Aëtio propinantur, & ijs quibus purgatio non proceſſerit.

Marrubium cum ſale & aceto.

Muris ſtercus in catapotijs deuoratum hydropas exinanit. author eſt Democritus allegante Sauonarola.

Melopeponis radix ad uomitus ciendos facit.

Melicratum uomitus promouet.

Mercurialis folia tenera elixa comeſta fimum egregiè ducunt: utriuſq; quidem, ſed fœminæ efficacius: ſanguinem quoque purgant & deſiccant. Aëtius.

Myrobalana beletzica P. cum empeliticis conueniunt.

Myrobalana cepula, ſiue magna P. Serapioni M.

Myrobalana empelitica P.

Myrobalana Inda M. Græci recẽtiores damaſonia uocãt.

Myrobalana lutea, ſeu citrina B.

Nolochos agria uel hibiſcum ex aqua potum. Plinius.
Mori lachryma uel radix aquam ſolam cit. Marcellus.
Mororum maturorum ſuccus pituitas ac tineas pellit. Idem & arborum radix præſtat.
Meri radix per meſſes inciſa ſuccum dat, qui aluũ ſubducit.

NArciſsi radix uomitus ciet.
Naſturtium B.
Naſturtij ſemina B.
Nymphæa in uino auſtero leuiter ſoluit.
Naſturtij ſemen ad uomitus datur.
Naſturtium Babylonicum, uomitus mouet. Serap. Hoc nonnulli orientale uocant. Ruellius Drabam exponit.
Nil granũ P. Serap. uocatur & habel, & granũ indicũ.
Nitri ſpumam. uide in Aphronitro.
Nitrum B. Serapio. Idem cum aceto mulſo potum uomitus citat.
Nucis iuglandis Iuli catuli uocati.

OLEA quæ ſequuntur purgant.
Amygdalinum.
Balaninum P.
Cicinum P. idem ricinino.
Grani Cnidij P. & aquas.
Irini unguenti ſpiſſamentum P. & aquas.

OLEA VOMITORIA.
Seſaminum.
Raphaninum.
Narciſsinum.
Cyprinũ: pota, uel digito pẽnáue penitus illita.

Oleæ radicis cortex P. Paulus.

Oleum uomitiones citat. Purgat idem heminæ pondere, cum pari ptisanæ succo, aut aqua potum. Dioscorides.

Omotarichos accommodatus est ad uomitiones: quæ ciborũ accremento quærũtur. Sic enim uertit Marcellus uerba Dioscoridis Græca: εἰς τε τὰς δειμοφαγίας μάλιστα ἁρμόζει.

Ocimum.

Oliuæ colymbades, uel salsæ ante cibum.

Onitis cunila uomitu aquosa reijcit. Marcellus.

Opopanax P. Mesue, Serap.

Origanum M. Diosc. & uomitus cit.

Origanum Heracleoticum, quod & condimentis miscetur, bilem atram uisceribus explicat.

Oxyphenica, seu Tamarindi B. Serap.

PAeoniæ radix omnes uentris dolores sedat in uino, aluumq́; purgat.

Pangratij succus cum farina erui similis est Scyllæ.

Panacis succus P.

Papaueris cornicularis semen aluum leniter purgat.

Papauer erraticum.

Papaueris spumei semen uomitiones citat.

Parthenium M.

Peplium, uel peplis B. M. P. flatus etiam expurgat.

Peplos M. P. B.

Peponis radix uomitoria est.

Persici folia aut flores B. Similem fumariæ uim obtinent.

Peucedani radix B. & P.

Phaseoli fructus uomitus iuuant.

Pix P.

Pix ſpiſſa P.
Pix frixa, uel Colophonia P.
Pycnocomi radix B.P.
Pyrethrum P.
Pyrites albus è quo argentum conflatur, M. Vide Lapis ſtellatus.
Pityuſa, ſiue eſula P.
Polygoni ſemina largius ſumpta ſoluunt. Plinius.
Polion hilioſa & atra oleo chamæmelino mixto per ſellas deducit. Marcellus. Nimirum clyſtere, quod in Irino proximè addiderat.
Polium aluū ciet, hydropibus & regio morbo prodeſt.
Polypodium P. & B. Recentiores ad M. magis cōmendant.
Porri uomitus iuuant.
Porrorum capitatorum ſuccus ſanguinem purgat, puriorem´q; efficit.
Proſerpinacam, ſi deuoretur, uomitio ſequitur ſalutaris. Plinius.
Pruna Damaſcena bilem.
Pſyllium B.
Ptiſana aluum mollit, cū modico melle uomitus prouocat.
Pulegium M.
RAdicula. lege Struthium.
Radix dulcis B. Serap.
Reſinæ terebinthi, pini, piceæ, laricis P. abigunt.
Rhus erythros. Plinius.
Ricini grana P. B. & aquas.
Roſaceum unguentum potum.

Rosarum succus B.

Rhaponticum, siue Rhabarbarum B. & Mesue.

Raphani semen, & radicis cortex uomitoria sunt.

SAlis flos P.

Salis species omnes, crassos uiscososq; humores emolliũt. Validior est qui gemmatus uel Cappadox dicitur, pituitam uitream, humoresq; altius fixos expediẽs. Validißimi sunt, qui naphthicus uel Sodomorum sal dicitur, & qui Indus apud Mesuen. M. & P. efficaciter trahunt.

Sagapenum P. crassam lentamq;, & aquam luteam hydropum. Mesue.

Sambuci asparagi teneri, uel coliculi, uel folia in patinis cocta, pituita, bile & aquis intestina liberant. fit autem id ualidius è sambuco minore, id est ebulo.

Sambucis corticis succus aquas, uel radix ipsa in uino decocta. folia P. & B. arcent olerũ modo cocta. Ad omnia tamẽ sambuco ebulus est efficacior. Caules quoq; teneri in patinis coquuntur. Semen etiã uentrẽ mouet.

Sarcocolla P.

Scabiosæ uulgaris herbæ succus aluũ ducit. Minime uero sic œbe est quam odoratam, acrem, fruticosam, & ad uini conseruationem aptißimam Galenus libro priori de Antidotis descripsit, inquiens apud Pergamũ nasci, & ab incolis Colymbadem uocari.

Scammonium B. P.

Scylla M. & crassos uiscososq; humores. Mesue.

Scordium P.

Sebesten, Græci myxa, & myxaria dicunt B. Serap.

Sedum ex uino contritum potumq; ad aluum concitandum plurimum prodest. Marcel.

Senæ, seu coluteæ fructus P. B. Actuarius. Arabes M. tantum & B. adustam eo purgari meminerunt.

Serpentaria M. Vide dracunculus maior.

Serum bilem. Mesue humores adustos addit, & aquas Serapio.

Sesamoides maius B. P. per superiora.

Sesamoides minus B. P.

Silybi radicis liquor uomitiones facit. Dios.

Sinapi.

Sparti flores & semen per superna egregiè ueratri modo purgant. Mesue inquit genistam efficaciter P. uomitionibus & aluo ducere.

Spica Celtica efficaciter hellebori instar uomitus euocat.

Spondylion, sphondylion'ue P.

Squamma æris aquam & P. exturbat.

Staphisagria crassa uomitionibus elicit.

Stichas M. P. Mesue. Accipienda uerò est Arabica potius quàm citrina uulgo dicta.

Styrax flauus, pinguis, P.

Susinum oleum B.

TAmarinde, seu oxyphœnica B.

Tartarũ, uel uini fex arida M. ut quibusdã placet.

Thapsiæ succus liquor, & radicis cortex B. per inferna & superna purgant, & iuxta alios pituitam quoq;.

Tereniabim, mannæ species in grana concretæ purgat bilem. Serap.

Thapsiam uuã Aegyptus uocat apud se prædulcem, quæ soluit

ſoluit aluum.

Thelypteris, id eſt filix fœmina, primo B. *trahit, mox aquas, & magis radice.*

Theſum amarum ut picris, ex aqua tritum. Plinius.

Thymelææ ſemina, hoc eſt coccus cnidius P. B. *& aquas.*

Thymus M. B. *&* P. *& uomitus cit.*

Thlaſpi B. *per ſuperna, & inferna.*

Tiliæ folia decocta urinam cient, ſanguinem pota detrahunt. Sed id opinor per urinam tantum.

Tithymallus mas uel characias B. *&* P. *utrinque ducit. Fœmina ei ſimilis eſt, ſed minus uomitum irritat. Paralios item prædictis ſimilis.* Helioſcopius *mitior alijs. Cypariſsias & dendroides cum reliquis conueniunt. Platyphylli lac, radix, & folia per aluum aquoſa trahunt.*

Tragoriganum Heracleoticum M. *&* B.

Tripolium per inferna aquas & urinam trahit.

Trixago, uel chamædrys B.

Turpeton, ſiue turbit P. *craſſam & uiſcoſam.*

V*Eratrum album* B. *craſſos lentosq́; humores per ſuperiorem uentriculum purgat.*

Veratrum nigrum B. *Meſue addit* P. *&* M.

Vinum catorchite, uel ſycite, id eſt è carycis.

Vinum ex helleboro.

Vinum è Chamelæa.

Vinum è Mandragora.

Vinum è Scammonia.

Vinum è Thymelæa.

Violarum ſuccus B.

Viſcus M. *Serapio.*

Viticis ſemen cum pulegio & melle potum aluum purgat.
Vitis agreſtis. uide Labruſca.
Vitis albæ teneri aſparagi olerum modo coquuntur, ad aluum & urinam ciendam.
Vitis albæ radix P.
Vitis nigræ radix, uel ſuccus ſimiliter, ſed minus efficax.
Vlmi cortex interior P. *& aquas. Plinius.*

VNGVENTA.

Roſaceum potum.
Suſinum potum, nauſeam tamen facit.

Volubilis lanuginoſa uitanda eſt, quoniam ſanguinem educit. Meſue.
Volubilis magna uiolenter detrahit B. *& ora uenarum aperit. Meſue. Nimirum periclymenum eſt Dioſcoridis, quam maius Romanis dici, lienemq́; urina cruēta, aut per aluum abſumere ſcripſit.*
Vrticæ ſemen P. *Herba cocta mollit aluum.*
ZInziber aluum mollit. Dioſcorides.
Zizipha. uide Iuiubæ.

Tabula eorum, quæ MOLLIVNT AVT *bonam faciunt aluum.*

A

ALlium.

Apomeli aluo biliosum humorem excernit. Compositionem eius docet Paulus lib. 7. cap. 15.

Aqua marina. Vide mel.

Amygdalæ amaræ.

Amygdalinum oleum.

Ari folia inaniunt ex sale & aceto sumpta. Vide in Dracunculo.

Asparagorum coliculi in cibo.

Atriplex.

B

BAtis.

Beta candida soluit aluum modicè, nigra inhibet.

Betonicæ folia.

Blitum

Brassicæ caninæ folia olerum modo cocta B. & aquas trahunt.

Brassica crispa.

Brassicæ decoctum ciet, substantia sistit.

Brassicæ semicoctæ ius.

Brassicæ succus, iuxta quosdam M. subducit.

Bryoniæ asparagi teneri decocti aluū & urinam cient.

Buglossus mollit aluum: ducit & B. Serap.

Bulbus

Bulbus esculentus bonam facit aluum.
Butyrum. Miscent & melli diabutyrum appellantes.

C

CApparis aluum turbat.
Caricæ.
Caro animalium quàm maximè iuuenculorum facilius aluum ducit.
Caseus nuperrimè coagulatus cum melle.
Castaneæ uehemẽter sistunt stomachi & alui fluxiones. aluum cient, nimirum post cibum.
Cepæ.
Chamæ.
Cerasa dulcia. Plinij hæc uerba sunt: Inuenio *apud authores, si quis matutino roscida cum suis nucleis deuoret, in tantum leuari aluum, ut pedes morbo liberẽtur.*
Ceratia humida aluum subducunt, arida potius sistunt.
Cybia uetera purgant, priuatimq́; cruditates, pituitas, bilemq́; trahunt.
Cicercula soluit.
Cochlearum ius.
Conchularum similiter.
Cucumeris radix, & fructus.
Cucurbitæ domesticæ succus cyathorũ triũ cum uini albi calefacti hemina datus, & olei semuncia B. P. *Marcellus.*
Cucurbitæ radix, & semina.
Cucurbitæ totius elixæ, mox expreßæ succus, additis exiguo melle & nitro aluũ leniter soluit. Si quis etiã in excauata cruda cucurbita uinũ infuderit, & per noctẽ sub

dio

dio habuerit, temperatumq́; ieiunus biberit, aluum leniter molliet. Dioſcorides.

D

DRacũculi radicẽ Galenus ſemel, iterum, & tertiò decoctam, quo omnẽ exueret medicã uim, interdũ ari modo in cibis exhibebat, præcipue cum lenti craſſiq́; humores maiore nixu eſſent propellendi.

E

EBuli folia in patinis cocta B. P. & aquas inaniunt, idq́; efficacius ſambuco.

Eruca bonam facit aluum.

Eruum Dioſcorides iubet aqua aliquandiu macerari, dein frigi uſque dum cortex rumpatur, & anguſtiore cribro traiectam farinã reponere. Bonam enim aluum facere: & ſi copioſius ſumpta fuerit, per aluum ueſicamq́; cum torminibus ſanguinem ducere.

Eryſimon uentrem mollit Serapioni, qui id buberegi uocat, alij budheregi.

F

FIcus.

Fici Aegyptiæ uel ſycomori fructus bonã facit aluũ.

Filicis fœminæ folia molliunt.

Fœnogræcum. Eius cremor cum melle decoctus omnes deprauatos humores ab inteſtinis depellit. Mel uerò modicum miſcendum eſt, ne ſtomachum erodat.

G

GAllinacei ueteris ius aluum ſoluit tum per ſe, tum cneco uel polypodio addito.

Garum B.

Gobius piſcis.

H

HEliotropium maius olerum modo coctum B. & pituitam extrahit.

Herinaceorum marinorum ius.

Hibiſcum ex aqua potum.

Hordeum coctum in cibo cum iure ſuo.

I

IVra uel decocta emollientiū uentrem efficaciora redduntur, ſi oleo, garo, & pipere condiantur, necnon ſtomacho gratiora.

Intybi.

Iuglans adhuc uirēs, uel etiam arida, ſi modo aqua præmaduerit. Paulus.

Ius piſcium.

L

LAc largius epotum.

Lac, præcipuè aſininum.

Lactucæ ſuccus in poſca potus.

Lapathi folia ſoluunt aluum, & radix cum uino decocta ſiſtit.

Lapathū hortēſe, quod Sabaudi uulgo Lampadā uocāt.

Lapſana.

Lentis decoctum ſoluit, ſubſtantia ſiſtit.

Lentis primum ius.

Lupi ſalictarij, ſiue lupuli aſparagi in acetario.

M

MAlua.

Mel incoctum uel crudum ſi quis lambat, egre-

gie alvum ducit.
Melicratum.
Melimela aluum molliunt, & lumbricos pellunt, sed stomacho nocent.
Melitites solebat inueteratus alui causa dari in febri.
Mel, cœlestis aqua, & marina æquis portionibus per colum traijciuntur, & in picato uase per Canis æstum insolantur. Alij decoctæ maris aquæ partibus duabus unam mellis miscentes in dolia diffundunt, Thalassomeli uocant. prius egregiè purgat: posterius lenius aqua marina est, mitiusq; ad purgandũ. Vbi uerò aquæ marinæ penuria fuerit, eius loco Plinius Secũdus duos salis sextarios, in aquæ sextarios quatuor mittere iubet, sic temperatißimam marini liquoris copiam fieri.
Mellis acetabulum, & salis triti tantundem, cum aceti sextario uno feruescit, atq; ita nocte sub diuo, cœlo sereno, uas leuiter opertum relinquitur, & mane qui pri die cœna abstinuerint, cum aqua quantum sufficiat minutatim bibunt, quo facto non solum uentris, sed etiam atræ bilis ac rufæ tædio absoluuntur. Hæc Marcellus.
Melopepones, fructu & semine aluum molliunt.
Menæ salsæ.
Mercurialis in iure pinguium carnium sale & pauco uini addito bibitur, folia eduntur. Efficacior autem est fœmina.
Myacum ius aluum & uesicam exinanit.
Molochiagriæ folia, uel hibiscum ex aqua potum.
Mora ante cibum sumpta.
Mulsum aluũ soluit frigido potu pluribus, calido sistit.

Nuces

N

NVces uirides, aut in aquam infusæ, si siccæ sint.

O

OCymum.
Oliuæ colymbades, uel salsæ ante cibum.
Ostrea.
Oua sorbilia.
Oxymel crassa educit ex corpore.

P

PAnes furfuracei.
Panibus triticeis asphodeli succus inter subigēdum miscetur.
Papaueris semina.
Pelorides.
Pepones.
Peponis radix.
Persica mala.
Pisces marini omnes testa intecti.
Pisces salsi.
Piscium recentium ius, modo ex se, modo ex uino potū.
Portulaca.
Pruna recētia, aut sicca, quæ si mulsa prius madefeceris: ubi tamen mulsæ plusculum mellis inerit, efficacissime uentrem mollient, si ea solum comederis: sed multo magis, si mulsam simul potaueris.
Ptisana, sola, aut melle addito.

R

RAphanus bonam facit aluum: sed oportet à cibo eam sumere, sic magis digestioni cōferentē. Præ-

ſumpta enim cibum in ſtomacho ſuſpendit. Præſumpta item uomitionibus accõmodata eſt. Hæc Dioſc. Galenus contrà.

S

SAtureia, condimentaria herba.
Scandix bonam aluum facit. Eſtur cruda & cocta.
Semina, apud Serapionem.
Papaueris,
Cucurbitæ,
Melopeponis,
Citri,
Cucumeris.
Sepiæ coctæ ſoluunt.
Sero lactis miſcetur tantum mellis, quantum ſatis ſit ad dulcedinẽ, ne ſtomachus euertatur: Qua ratione etiam ſal addendus, ne guſtus abhorreat.
Seutlomalachum.
Siliquæ recentes ſtomacho inutiles aluum ſoluunt.
Silurus è iure.
Sinapis aluum emollit.
Sonchus.
Sycomori uel ſycamini fructus.
Spinachia olus.

T

THalaſſomeli. Vide Mel.
Thapſiam unam Aegyptus uocat apud ſe prædulcem, quæ ſoluit aluum.
Thelypteridis folia molliunt.
Tellinæ.

Thymbra

Thymbra in condimentis adhibetur.

Thymus ſimiliter.

Torpedo in cibo.

Tragos.

Turtur, piſcis cartilagineus.

V

Vini Cretenſis (noſtri Maluaticum uocant) cyathus cum butyri recentis uncia feruefactus potusq; morantem aluum elicit.

Vinum dulce cõfert eductioni, quæ inferius fit, ſed paſſum aperte mollit.

Vitis albæ aſparagi decocti in cibo aluum & urinam molliunt.

VINA VARIA E PVRGANTIbus componi Dioſcorides docuit, qualia ſunt ex

Abſinthio,
Aſaro,
Betonica,
Chamædry,
Chamæpity,
Dictamno,
Hyſſopo,
Marina aqua,
Marrubio,
Origano,
Pulegio,

Satureia,
Scylla,
Stichade,
Thymo,
Tragorigano.


Vrtica cum conchulis, uel in ptisana cocta.

Vrticæ semen.

Vuæ dulces, præcipuè ubi humidæ sint, & recentes.

Volentibus augere corpus, aut mollire aluum, conducit inter cibos bibere. Contrà minuentibus aluumq; cohibentibus sitire in edẽdo, postea parum bibere. Certè ueterum nonnullis satis esse ad secundam ualetudinem tuẽdam uisum est, si aluus quotidie & urina pro ingestorum copia, sine uitio & abundè responderet, ac quum uacuatio iuxta proportionem accidebat, commendabant: sin minus, promouebant, urinam quidem scandice, apio, asparago, petroselino, aniso, nepita, origano, absinthio, graminis carduiq; radice, cytiso, adiãtho, omnibus in aqua elixis, quorum decoctum cum uino potu exhibebãt. Hæc enim per urinam sanguinem repurgant. Aluum adiuuabant terebinthina, ex qua oliuæ magnitudinem dormituris deglutiendam offerebant. At cum acrius subducere eam instituimus, rheu momentum admiscebimus. Hæc Paulus Aegineta lib. 1. cap. 43.


FINIS.




Lugduni.
Excudebant Io-
annes & Fran-
ciſcus Frellonii
fratres. 1544

Cyprian mathn

Cyprian mathn




Cyprian martin

